PROUERBIORUM LIBER, PETRO GODOFREDO, CARCASONENSI IURISCONSULTO, ...

Pierre Godefroy

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
2 A
48

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

45. 45
d. d
1. 15

45.4.1.


i 2/25

Prouerbioru̅

LIBER,

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PETRO GODO-
fredo, Carcaſonenſi Iuriſ-
conſulto, Procuratore Re-
gio in fide, autore.



PARISIIS,
Apud Carolum Stephanum,
Typographum Regium.
M. D. LV.

VIDERVNT hoc opus, nec improbauerunt quidam magni nominis doctores Theologi Sorbonici: ex iiſque generalis Quæſitor hæreſeωn, pontificia ac regia delegatione inſignis, nihil impium cõtinere, ſcripto teſtatur.

PETRVS GODOFREDVS
Carcaſonenſis τοῖς σπουδαίοις.

Nemo veſtrûm (opinor) mirabitur candidiſſimi Lectores, nos haud leue, vtpote vel Iuriſconſulti munus profitẽtes, ad Prouerbiorũ rei ſpecie minimè grauis tractationem deſcendiſſe. Non deerunt tamen ἀσπούδαιοι atque ἄμουσοι, qui hoc admirentur: quos ego ſcire cupio, grauiſſimos quoſque omnium gentium autores olim prouerbia tractaſſe, eorúmque frequentiſſimè meminiſſe: qui ne ea quidem, quæ tantum in ruſticorũ ore verſabantur, contempſerunt. quorum nõnulli ſententiam, acumen, ornatum, vim, ſonum, magnificentiam, breuitatẽ adeò admirati ſunt, vt nihil melius, nihil ſapiẽtius, nihil elegantius etiã ab eruditiſſimis & diſertiſſimis dici poſſe cẽſuerint. Alii dixerũt eadẽ ſimilia legibus, quarũ ſcriptũ elegans & auguſtũ eſt, interpretatio verò latiſſima. Tametſi certè nonnulla ſunt inſulſiora & abſurdiora, quàm vt quis eorũ debeat meminiſſe. Adhæc in legibus ipſis ſæpe, ac quocunque humano, ſed & diuino iure prouerbia citari videmꝰ: atque nominatim nobis cõmendantur in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ipſis ſacris prouerbia quæque nō improba: ea nō auerſanda, imò verò expetēda, ac exquirēda eorū occulta: & cōuerſandū in eis admonet Hebræus fili⁹ Syrach. Itaque quod nos ſæpe obſeruauimus in libris & colloquiis famliaribus vel ſpecie prouerbiū, hoc eſt (vt ſimpliciùs deſcribā) protritū & cōmune verbū, ſententiā, locutionē, vocē (diuerbium quoque quibuſdā, adagiū verò item & adagio nobis omnibus, Græcis παροίμια, Hebræis, מָשָׁל & שְׁנִינָה dicitur) id partim aliis operib⁹ noſtris, vt opportunū fuit, inſeruim⁹, partim ſeorſum aliorū ſtudiorū aſſiduitate defeſſi collegimus, atque interpretati ſumus. Id verò ita, vt nihil à cæteris prouerbiorū enarratorib⁹ cōpilatū, ſed quicquid eſt prorſus derelictū ab aliis, vel aliâs recēs & ingenuè elaboratum, facile cōperiat ſtudioſus Lector. Cæterùm ea eſt diſpoſitio operis, vt cōſtet duabus cēturiis ordine alphabetico digeſtis, & lōgè plura omnis generis prouerbia cōplectētibus. Quæ omnia tandem vobis ſolis hoc honore dignis dedicamus, & publicamus tam beneuolo in omnes animo, quàm æquo & benigno eadem excipi auemus. Valete. Lutetiæ. Calend. Ianua. M. D. L V.

Petri Godofredi

CARCASONENSIS Iuriſconſulti, Procuratoris Regii in fide, Prouerbiorum liber.

Prouerbium primum.

AB IMPIIS EGREDIETVR IMPIETAS. *Hoc prouerbium eſt antiquum dictum à Dauide in ſacris Biblijs Regum libro 1. cap. 24. cùm exprobraret Sauli regi eum ſibi inimicum & infeſtum: ſe autem (etſi potuiſſet occidere) pepercíſſe illi: unde & de piis per contrarium ſenſum dicitur. quibus planè concinit illud non minus elegis, quàm doctrinæ plenum, & ipſum ſpeciem*

prouerbij habens D. Gregorij uerbum, relatum à Gratiano inter ſacros canones 7.q.1. Abel eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet. quo docet, ut ab impiis impietas uenit, à piis pietatem manare: eoſdémque piè agere, dum impiè in ſe agi æquo animo ferunt, & eo magis in ipſa pietate roborãtur, quo magis impietate torquentur. Dici hoc item uetus prouerbium poteſt, ꝙ impij in cauſa ſint ſæpe, ut multò plures pij, quaſi impij impiè plectantur. quod in ſeditionibus perturbatius uindicatis euenit: ut aliquando Theodoſio principi, alioquin pio, cùm apud Theſſalonicam quidam ex militaribus impetu populi fuiſſet occiſus, ut retulit ille quoque 11.q.3. & ſimiliter contigiſſet Dauidi, cùm exaſperatus reſponſo Nabalis ingrati & peſſimi hominis, iurauit ſe deleturum omnem domum eius, ni occurſu prudẽtiſſimæ Abigail prohibuiſſet ipſum Deus, ne id mali faceret, ut prædicto Regum lib. continetur. ídque nimirum habet pulcherrimus Heſiodi uerſiculus:

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Porrò idem ab Hebræis exponitur, quòd deſituri ſunt impij impiè agere. Agere impiè dicitur, non impij eſſe, ut intelligatur (quod ſcitè Iuſtinianus noſter ait) πάντα λύων θάνατος. qua

*ſemel excepti, iam nihil mereri poſſunt, ut nimium theologicis traditionibus conſtat, docetúrque in c.tempus.13.q.2.*Sic *alibi dicitur* : Et *iter impiorum peribit.*Ac *nihilominus alibi:*Et *ibunt hi in ſupplicium æternum. nec abludit, quòd in impietate morientes, aut cùm iam amplius hîc impiè agere nequeunt, relinqui ab impietate dicuntur, non relinquere impietatem, c. ſi quis poſitus, & c. de pœnit. diſ.7.*Itaque *maximè cõuenit, quod dicitur egredi impietatem. etſi quoque dici poteſt egredi impietas, cùm impius emendatur fideli dilectione, quæ* καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν וְעֹזֵחַ כַּמָּוֶת *dicitur. nullúſque miſer de quantacunque miſeria liberatur, niſi qui* Dei *miſericordia præuenitur, ſicut dicit* Pſalmiſta : Citò *anticipet nos miſericordia tua domine.* Et *illud* : Deus *meus miſericordia eius. & ipſe dominus teſtatur neminem ad ſe poſſe uenire, niſi quem pater attraxerit, ut & nobis probat ſacrum* Arauſicanum *concilium.*

Prouerb.2.

ABSENS HAERES NON ERIT. Vulgo *frequens prouerbium eſt, de iis qui*

abſentia ſua quapiam utilitate fruſtrantur. Tractũ eſt ab illis, qui cùm propinquitate quadam legitimam alterius ſucceſſionem ſperare poſſint, eadem, dum abſunt, opportunis obſequiis & delinimentis alienis priuantur. unde & Salomoni melior dicitur uicinus iuxta, quam frater procul. Sicque dùm abeſt Eſaü, iure primogeniti priuatur, benedicto à patre Iſaac Iacob iuniore, cibos adferente huic, & imponente utriſque. Dicitur hoc aliter, & plenius uulgo: Abſentibus nihil. quod abſentiam non neceſſariam uel probabilem, & negligentiam imprimis notat, iuxta ueteris iuris ciuilis ſcita, principum conſtituta, pontificum præcepta, commenta interpretum, reſponſa prudentum, Digeſt. lib. 4. tracta. ex quibus cauſis maiores reſtituantur, cap. Sed etſi, &c. Codicis Iuſtinia. lib. 3. tracta. 1. cap. 13. Bonifaciani uoluminis tertij tractatu de clericis non reſidentibus, Eleazar. in cap. finem. de dolo. Barbatia conſil. 90. tomo 4. addere licet cum alia, tum nobis concordata dicta tracta. de collatio. Opportuniſſimè quoque Demoſthenes philipp. 1. teſtatur, uſu uenire, ut abſentiũ res intercipiãtur à præſentibus, & uigilãtibus torpentes cedant. Item hûc pertinet quod indicat Xenophon œconom. cap. 21.

Abſentia domini omnes eius res peius agi: quandoquidem nemo eſt qui aliena perinde ut ſua curet. quod exprimit Ariſtoteles, & admonet Caſſitæ apologus à Gellio relatus. ac ſatis abundéque ſufficit, ſi cui uel in paucis amici labore conſulatur, ut habet reſcriptum imperatorum tracta. de negotiis geſtis.

Prouerb. 3.

À CALVO AD CALVVM. *Verbũ fuit Caligulæ imperatoris peſſimi, cùm omnes reos poſtulatos in cuſtodia, tum fortè duobus caluis extremis exiſtentes, ita & duci ad ſupplicium citra diſcrimen ullum iuberet. quo inde notatum eſt indiſcriminatum quodq; iudiciũ, ut cauſa quorũdam clericorum nunc malè uiuentium (quod peculiare ſemper hæreticis fuit) omnium odium. ſicque uſurpauit Budæus extremis uerbis alterius uoluminis trãſitus helleniſmi. Equidem, ut à caluo ad caluum (quod dicitur) iniqui eſt iudicis & præcipitis, eodem iure cenſere: ita à raſo ad raſum damnare, uel nota mulctare ignominiæ tum atratos, tum albatos, præcipitis utique famæ præiudicium ſequẽtes, non ſatis æquorũ eſſe arbitror hominũ,*

ſed cenſuram ſubiratam, offenſámque exercentium, de re tot ſeculorum, taliúmque conſenſu comprobata. Hûc *& nimium notum ius ſpectat, quod uariis delictis uarias pœnas conſtituit, & pro modo culpæ animaduerti iubet: nec uult quenquam alterius odio prægrauari, quo pignerationes & bella odioſiora ſunt, ſingularia certamina propiora.*

Prouerb. 4.

AD MOLENDVM. *Prouerbium eſt de iis qui grauiſſimo cuiquam operi & labori ſunt dati uel deſtinati, uſurpatum ab* Hieremia *(ut cenſet* Munſterus*) ubi is lamentatur, & habet interpretatio communis, hoſtes populi* Dei *adoleſcentibus impudicè abuſos, idque per trãſlationem: cùm uerbum ſit* טְחוֹן *poſitum pro* לִטְחוֹן, *ut docuit* Rabbi David*: unde &* Aben Eſra *expoſuit, ad molendum. quod & intelligere licuit ad cœundum, ut fuit uſus gentium peſſimus atque modeſtia, & pudor honeſtiſſimus ſcripturæ & linguæ ſanctæ in turpiſſimis exprimendis.* Sícque Iob *cap.* 31, Molat *alteri uxor mea. hoc eſt, ſcortum alterius ſit, alteri ſubiiciatur in actu uenereo, ut mola inferior ſupe-*

riori: uel, ſeruiat aliis, ſit aliorum ancilla, cuius erat molere: ut nunc eſt mercede nobis deſeruientium & miniſtrarum triticum moli curare, & nonnunquam eò ferre, & referre molitum. Erat autem illud magis ſeruorum robuſtiorum, præcipuè malè meritorum de dominis opus, piſtrini dictum, ut ſæpe docet Comicus, & indicat Vlpianus Digeſtorum tractatu depoſiti cap. 1. ídque neceſſariis impenſis adnumerat alio loco. Itaque meminit molæ manuariæ Iabolenus, eandem cum iumentaria inſtrumenti non ſupellectilis eſſe aſſeuerans. Ea, quæ uento agitur, in uſu fuiſſe non uidetur: nec quæ aquæ decurrentis impetu rotatur. Cuius nec nomen, nec inuentorem proditum antiquis reperit Vrbinas. Molas uerò aquarias tantùm apud Iuſtinianum ſe legiſſe fatetur Nebriſſenſis. Quarũ tamẽ rationem multiplicẽ dudum antea docuit Vitruuius lib. 10. cap. 10. quod cùm manu agere imprimis ſuetum eſſet, & utique ingentis ſit laboris, de eiuſmodi dici potuit: non ſecùs, quàm nunc etiam uulgò dictitatur, quodcunque laborioſiſſimum eſt, foſſio. Quæ & ualens robuſtáque exercitatio dicitur à Galeno ſanitatis tuendæ lib. 2. unde & ſi quem mendicantem ualidum, uel aliâs robuſtum ignauiùs degentem

uidemus, deliciis affluentem, & opibus abutentem, quum tandē decoctis omnibus, aut alio turpi caſu egēs torpeat, &, ut ille in parabolis Euangelicis aiat, Fodere non ualeo, mendicare erubeſco: admonemus foſſionis, aut certè triremem optamus.

Prouerb. 5.

AD NEMINEM. *Frequens locutio eſt patronis forenſibus, cùm narrant quempiam fruſtrà quicquam ad alterius uerba egiſſe, malè illi fidiſſe, ab eo tādem deceptum eſſe, quaſi ad neminem locutum eſſe, & ne ad hominem quidem ueniſſe, unde Neminis uox ipſa deducitur: uulgóque hominem dicunt, qui non immemor ſui uel grauitatis humanæ, cordatus, & propoſiti tenax uſqueadeò eſt, ut quodcunque promiſſum ſine noxa poſſit præſtare, paratus ſit: ſubindéque beſtiam uocant, qui inconſtans & leuis temerè uerba ſua facit irrita, dedicit, recantat, παλινῳδεῖ. Inſuper uidebitur hoc alludere ad uafrè dictū ac factum Vlyſſis. qui cùm teneretur in antro Polyphemi, & rogaretur ab eo, quodnam ſibi nomen eſſet, reſpondit ſe neminem appellari. tum cùm ipſum Polyphemum dormientem, præuſtam ſudem in oculo uoluens,*

cæcaſſet, & clamaret ille, Cyclopas uocans, hique iam circa antrum proximi eſſent, & quærerent quid graue pateretur, num fortè quiſpiam oues abigeret, aut ipſum interficeret dolo, non ui, reſpondit Polyphemus, à nemine ſe peremptum dolo, non ui. Sicque aſtu Vlyſſis, ſtupiditate Polyphemi, opportunam uocis intelligentiã minimè aſſecuti Cyclopæ, rati iam ad neminẽ ulciſcendum ſua opera opus, & fruſtrà experrectos accurriſſe Polyphemo, cùm ſuo nemine uale dixerunt. Itaque neminis cauſa, ad neminem omnes Polyphemo defuerunt. Lepida eſt fabella: quam inter errores Vlyſſeos, ceu ueram hiſtoriam ponit Homerus.

Prouerb. 6.

AD TELESTAGORAM. *Teleſtagoram Naxium pro eius nobilitate, opulentia, comitate & gratitudine conciues munuſculis honorare ſolebant, ac ſubinde cùm opſonatores aliquid uiliùs emerent uel licitarentur, uenditores prouerbij loco dicebant, ad Teleſtagoram potiùs mittendum. Id quod retulit ex Athenæo Thomæus uariæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 7. ubi uide ne Telegoram legere ſatiùs ſit, ut alij habent. Hoc poterimus uti, cùm ſignificabimus ſatius*

eſſe liberalitate, & quapiam honeſta ratione diſpendium aliquod pati, quàm abiectiùs compendium aliquod adipiſci. Quod eos uel maximè decet qui in dignitate poſiti ſplendoris publici gratia honeſtatem utilitati præferre debēt. Ex quo, uitio datur, laudabili aduocationis officio deſeruētibus uiris, procurationis onus aſſumere. quod minimè uile uix tātùm in principali functione putatur Fabro interpreti tracta. de exceptionibus inſtitutionū Iuſtinianarum. Et qui ea rapitur cupiditate, ut pro uili ſtipēdio tanquam degener poſtulet, infamis fieri dicitur à Gul. Duranto, ſpeculi iudicialis tractatu de aduocato. Etſi aliâs quoque haud uanum eſt uulgare illud quod dicitur, Melius eſſe aliquid lucrari, quàm nihil. Sed & lucrum in tempore negligere (quod ait Comicus) maximū eſt lucrū. Cæterùm, huc facit uulgare adagiū quod habet, Bonum eſſe donare, quod uendi non poteſt: quod non eò dictum accipiendum eſt, quòd peſſima tantùm danda ſint, ſed quæ poſſis abſumere, etiam ſint communicanda.

Prouerb. 7.

AGAS ASELLVM. *Inter prouerbia illud eſt Scipionis, cùm Aſellus omnes prouin-*

cias ſtipendia merentem ſe peragraſſe gloriaretur, Agas aſellum, &c. ut retulit Cicero de oratore lib.2. Aſellio autem ſub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuiſſe dicitur Gellio lib.2.cap.13. unde ſuſpicamur ex amphibologia uel alluſione uocabuli tale ortum prouerbium, Agas aſellum: quaſi inde dicas, uel intelligendum denotes, & iam aſellus non erit, uel quid ſimile: quod planè notet hominem naturâ ſtupidum & ignauum, eóque puſillanimem: uel aliâs obſcurum, alterius curâ & operâ ut utilem & clarum reddi, ita inſoleſcere. Porrò aſinorum quidem genus ut natura tardiſſimum eſt, ita uerecundiſſimum quadrupedum omnium teſtatur Xenophon. ſi tamen agatur, impellatur, & ſtimuletur, multiplici utilitate commendabile fit, interea quoque (ſi quid creditur fabuloſis narrationibus quibuſdam non omnino nec æquè abſurdis, uel creditu difficilibus) arrogantia & uanitate tangitur. ut cùm narratur ab AEſopo, leone ob galli cantum fugiente, aſinus ratus timore ſui fugere, illum inſecutus, & iam cùm eo loci eſſet, ad quem uox galli non perueniebat, à leone peremptus timoris pœnas dediſſe. Cúmque à Gabria dicitur aſinus geſtans ſimulachrum (quod unuſ-

quiſque occurrens adorabat) intumuiſſe: tum audiuiſſe (quod in pleroſque dignitate inflatos cõmodum dixeris) οὐ θεὸς σὺ, τὸν θεὸν δ᾽ ἄγεις. ad quod etiã ſpecialiùs adluſiſſe uideri poteſt Scipio. quandoquidẽ ut uel ipſe Apuleianus aſinus perquàm lepidè docet, aſinus Syrius ſtatuam deæ circunferens, multas miniſtris ipſius colligebat pecunias, tum alia, quæ dorſo eius congerebant, ut duplici ſcilicet ſarcinæ pondere grauatus, & horreum ſimul & templum incederet. Adhæc non ualde abſimile eſt, quod uulgò dicitur, Honores mutant mores: adde ſenſus, ut uiſum auditumque adeò ut pridem notiſſimos amicos ſtatim non agnoſcant qui honoribus amplificãtur, ut nimiũ uera eſt fabella Abſtemij.

Prouerb. 8.

ALIVS EST QVI SEMINAT, & alius eſt qui metit. Verba ſunt Chriſti in euangelio Ioan. cap. 4. ubi & Theophilactus exprimit ſermonẽ, uerum dici prouerbiũ uulgò iactatũ hoc. quod quidẽ in hoc probauit Chriſtus, ut qui ſeminat, ſimul gaudeat & qui metit. quo nobis commendauit modeſtiam & diligentiam: monuit agnoſceremus uenerãdam antiquitatem, & maiorum in rebus omnibus pro-

batis laborem & induſtriã imprimis ſibi meruiſſe coronam: deinde poſteritati diſpoſuiſſe & commonſtraſſe uiam, quam proſequens ad metam perueniat, in qua ſibi hæc ſimilem lauream nanciſcatur. Conemur *omnino quantum poterimus, ne fruſtrà nobis illi præluſerint: præcipuè ne quantum illos ingenio ſuperare dicimur, tantum benè uiuendo ſuperemur, & (quod peſſimum eſt) ueritatis callem non tenentes, perpetuò erremus, & audiamus illud in impios* Iu*dæos haud ab re dictum ab eodem* Chri*ſto uerbum:* Cecinimus *uobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. quod parùm aduertit cæcatos malo ſuo iam nimium multos hæreticos, qui uerè uiam* Dei *ſcire nolentes, ambulant in deſideriis ſuis per ſolitudinem inaquoſam, ubi dum nihil eſt à ueneranda antiquitate ſeminatum quod metant, ut & congaudeãt, ipſi ſua ſeminant: aut ab eiuſmodi antea ſeminata, talia ſibi metunt, ut & ipſi crucientur. ſitque ita uerum uerbum, ut alius ſit qui ſeminet, & alius qui metat, & ambo triſtentur.* Po*teſt quoque dici alium ſeminare & gaudere, & alium metere & cruciari. & cõtrà, ut cùm à bonis quicquam prodit, quo praui abutuntur, aut malorũ quapiam re boni ſibi proſunt:*

quandoquidem mundis omnia munda ſunt: immundis nihil eſt mundum.

Prouerb. 9.

AMANTEM REDAMA. *Vulgare uerbum eſt, quod ita effert* Petrarcha, Prouerbio ama chi t'ama, è fatto antico: *defluxiſſe uidetur ab illo antiquo non ſolùm* Ethnicorum, *uerùm etiam magiſtrorum* Hebræorum *errore, quo amici quidem dicebantur amandi, inimici uerò habendi odio. eo uerò nos utemur, intelligentes quidem omnes propter deum, quemadmodum ipſe iubet, amandos etiam nobis inimiciſſimos.* Cæterùm, *in arctius & lõgè ſpeciale amicitiæ & familiaritatis uinculum & officium admittendos, quos ad id ſatis nos amare iudicauerimus, probatos tempore & conſuetudine, iuxta prouerbium, quod perhibet oportere quandam ſalis menſuram edere ſimul, antequã ſe mutuo ad amicitiam cognoſcant homines, ut tradunt* Ariſtoteles *ac* Cicero. *Huc uerò etiam uſurpatur illud* Chriſti *in euangelio* Ioannis: *Eum qui uenit ad me, non eiiciam foras.* Spe*ctat maximè quod & ſic exprimit* Heſiodus, τὸν φιλέοντα φιλεῖν, καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι. Pertinet *quoque id quod ait* Ariſtoteles Ethi-

corum lib.8.cap.8. laudari, qui amant amicos. Et ita lib.9.cap.8, φασὶ γὰρ δεῖν φιλεῖν μάλιστα τὸν μάλιστα φίλον. Subinde quoque, eodem frequentiſſimo teſte, cùm circunſpecta ſcilicet communio ad amorem idonea ſit, & amicitia communicatione conſtet, prodeunt illa, μία ψυχή· καὶ κοινὰ τὰ τῶν φίλων· καὶ ἰσότης φιλότης.

Prouerb. 10.

AMYRIS FVRIT. Hoc prouerbiũ refert Thomæus uariæ hiſtoriæ li.2.ca.ult. natũ ex eo, quòd cùm Amyris Sybarita, unus ex legatis à ſuis de futura felicitate quærẽtibus, ad Apollinẽ miſſis, accepiſſet ruituros Sybaritas, cùm pluris facerent homines, quàm deos, & uideret ſeruum à domino uerberatum, ad aras quidem profugientem, nihil ſibi profuiſſe: ſed tandem cùm ad paternum domini ſepulchrum confugiſſet, res omnes ſuas confeſtim uendidit, & locum mutauit: túmque primùm à Sybaritis tanquam inſaniens riſus: demum uerò cùm non multò pòſt, à Crotoniatis cladem acciperent, prudentiæ nomine commendatus eſt. Docet quemque ſua grauiter curare, & ſibi circunſpectè proſpicere, ne quicquam uereri inſanum & ſtultum uideri & ſubſanari, dum

Prouerb. 11.

AMVSSIS ALBA IN ALBO LApide. Hoc *prouerbium (quod & docet* Budæus *in* Pandec.*tract. ſi menſor falſum modũ dixèrit) notare uidetur rudem, confuſam & incertam curam, induſtriam & diligentiam. ut illa, quæ ſacer* Parœmiographus *ignorare ſe profitetur, uiam ſcilicet aquilæ in aëre, ſerpentis in petra, nauis in mari, uiri in adoleſcentula.* Eſt *enim in* Hebræo בְּעַלְמָה *& utique uox* עַלְמָה *ubique uirginem adoleſcentulam ſignificat, ut noſtri defendunt aduerſus* Iudæos *recentiores, & optimè docuit* Pagninus. *Cæterùm, hac uia intelligi opinor capti amore puellæ ineptias: qualem uaniloquentiam notat* Homerus, *ubi ait:*

Παρθένος ἠΐθεος τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιϊν.

Prouerb. 12.

ANIMAM DEBET. De *eo dictum uidetur, qui mutuo ac debito ſoluendo obnoxius, & inidoneus, uitam deberet creditori, tandem capite pœnas dans quaſi perfidiæ & fraudis: qualis inter* Mimos Publianos *dicitur,* Acci-

pere quod dein ſoluere nequeas. quam tamen pœnam ut nimiùm acerbam, neminem paſſum teſtatur Cæcilius iuriſconſultus apud A. Gellium lib. 20. Aut de eo ſimiliter hoc dictum uideri poteſt, qui ſoluendi debiti impotens, nihil habens reliqui, quàm uitam ipſam, miſeram ſeruitutem ſeruire creditori cogeretur, quàm mortalitati ferè comparari, ait Vlpianus. nec mirum: & hanc ſuſtulit σεισάχθεια (quam dicunt) Athenienſibus Solon. ſicque reſcripſerunt imperatores, ob æs alienum ſeruire liberos creditoribus cõpelli, iura non pati. Aut certè de eo idem dictum accipi poſſe dices, cuius fortitudo (ut ſimili prouerbio habetur) in neruũ erumpere poſſit, qui ſupra uires facultatum ſuarum auſit mutuum ſumere, aut pro alio ſpondere, ſperati cuiuſpiam ingentis commodi gratia. Quod ſi fefellerit, futurum ſit æris alieni ac debiti iudicati cauſa, ut detrahatur in carcerem, aut communione interdicatur: excommunicetur inquam, quod magis tenet animam. In quo tamẽ etiam legitima ceſſione bonorũ ſuccurritur. Quin de eo hoc uidebitur intelligi, Quicunque pauper eſt, mutuum accepit & debet, præſertim uſuras ea de cauſa pendens. Quandoquidem ut quidam poëtarum ait,

Τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.
Et ſacer Parœmiographus, ut nos uulgatū habemus, diues pauperib⁹ imperat, & qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis. ubi obſerua uocem ultimam מַלְוֶה, qua non ſolùm fœnerator, uerùm etiam omnis mutui dator dicitur. Sic & hic debitor ſua, uel alterius cauſa ut fideiuſſor obnoxius alij animam dediſſe legitur in eccleſiaſtico libro filij Syrach cap. 29. quoniam etiam aſſiduè angitur, aut in continuo periculo eſt ob repetitionem crediti. Id quod uel de uitæ debitoris neceſſariis cogi ſolet, ad ídque auferri etiam ſtramentum de cubili, illo quoque teſtāte. Huius uerò etiam miſereri uult creditorē ſummus legiſlator & iudex Deus, uetans eum quaſi exactorem urgere, aut uſuris opprimere debitorem, aut retinere quod ei fuerit neceſſarium. Sed uel miſerrimum omnium debitum eſt illius, qui ſe deuouit, & dedidit Plutoni principi inferorum, diuitiarum deo haud ab re dicto, πλουτοδότῃ, καὶ μεγαλοδώρῳ, & operibus eius, quo citas & infelices conſequeretur diuitias ipſas, πλοῦτον & מָמוֹנָא iniquitatis utique dictas, iuxta quoque horrendum, & per ſe indignum memoratu impiorum adagium habēs, oportere

eum qui diues fieri uult, annis aliquot faciem à Deo *auertere, ſcilicet quod faciebant ſenes capti impudico amore* Suſannæ, *euertere ſenſum ſuum, & declinare oculos ſuos ut non uideat cœlum, nec recordetur iudiciorum iuſtorum.* Cui *malo unquam uix ullum inuenias remedium: cùm ut dimittatur peccatum, reſtitutio integra facienda ſit iis, quibus abſtulerit, quam uel nolit, nec poſſit.* Vnde *(prô malum) de eo maximè dici poſſit,* Animam debet.

Prouerb. 13.

ARDORIS PEPLVM. Prouerbium *in corrumpentes & criminantes (ut* Baptiſta Pius *adnotauit in* Sidonij Apollinaris Telici *inſcriptum panegyricum) ab eo deductum eſt, quod prolixiùs narratur, & uulgò notum eſt ſatis, de peplo,* Neſſi *ueneno quaſi philtro infecto, miſſo à* Deianira *ſacrificaturo* Herculi, *qui eo incenſus arſit. quo certè imprimis in* Neſſo *prauitas eorum notatur, qui amicorum uel coniugum, uel aliàs coniunctorum alterum ſubornant, alterum criminantes, & in ſuſpicionem quantamcunque poſſunt rapientes uolatæ aut lædendæ fidei, & cuiuſpiam fraudis. quod genus eſt hominum planè diabolicum. quandoquidem*

ex eo dicitur diabolus Græco *uocabulo: & is ſerpens antiquus primum genus aduerſus* Deum *ſubornauit, & ipſum* Deum *criminatus eſt, quaſi ob id pomi eſum uetuiſſet, quòd inuideret homini meliora. dein accuſatur inimicis credentium facilitas, & maximè mulierum propria credulitas, & nimia omnibus in rebus ſecuritas, & pernicioſa ferè ſedulitas, quæ iam olim ipſos protoplaſtos perdidit.* Nil *mirum, ſi & noſtræ leges teſtantur ipſas contra propria commoda laborare: unde & meritò nil ipſis ciuilis adminiſtrationis creditur.* Denique *docetur inſperatiſſimus ferè ſceleſtorum, ut adulterorum exitus, quibus nihil eſt tuti, & conueniens eſt ardor, qui calent ut clibanus ſuccenſus à coquente, ut* Oſeas *inquit.* Quare *& dum dignum malum optaueris,* Iolen *pro* Deianira, *hoc eſt pellicem, pro uxore fouenti cuiquam, elegantiſſimè dixeris,* ἀΐδης πέπλος.

Prouerb. 14.

ARDVVM EST ADVERSVS DVO, *contrariáque pugnare.* Iam *olim tritum uerbum hoc, rectè ſe habere ſcribit* Plato, *legumlationis ſuæ uolumine undecimo. reſpiciat autem alia duo per ſe celeberrima.* Primum *eſt il-*

lud, cuius idem meminit in Euthydemo *&* Phe-*done,* Ne *unus uel* Hercules *quidem contra duo.* Quod *& ita legitur* Eccleſiaſtici *cap.* 33, Duo *contra duo, & unum contra unum. quo imbecillitatis humanæ, & modeſtiæ admonemur, ut intelligamus nos nihil eſſe: & ſi quid ſumus, alium qualibet in re tantum eſſe poſſe, quantos nos eſſe arbitramur.* Timeamus *igitur plures, niſi in manifeſta cauſa* Dei *certò ſperemus eius auxilium adfuturum, ut nos probè inter alia docet prioris* Machabæorũ *libri caput tertium.* Poſtremum *autem hîc ſignificatum documentũ eſt, quod dicimus,* Difficile *eſſe omnino tenendum uirtutis inter duo extrema poſitum aſſequi medium, ut in circulo centrum attingere: idque cùm ex aliis, tum ex* Ariſtotele Ethicωn Ni-*comachiωn lib.*2.*cap.ult. & ſiue* Richardo, *ſiue* Cydonio *eius interprete* Græco *(quem tantùm nobis legere cõtigit) confutationis* Muhamedicæ *legis cap.*5.*ſicque quàm prudentiſſimè & attentiſſimè ſemper omnibus in rebus uirtuti inuigilandum docemur: ne, quod & notat poëta, ſtultè uitantes uitia, in contraria currramus.*

Prouerb. 15.

ASINI CLAMOR. Hoc *nimium*

noto uulgi prouerbio arguuntur nulla uel iniuſta de cauſa indignabundi & clamoſi, qui inter ea nihil ſibi proſint, nec obſint aliis, ſed & ridiculi fiant, uel appareant improbi. ita qui conuiciis, aut diris imprecationibus aliquem iniuſtè uexant, & anathema dicunt, potiùs ſibi nocent, quàm ei qui patitur iniuriam, ut docet B. Auguſtinus à Gratiano relatus 11. q 3. cap. illud. unde & prolixiùs dicitur: Clamor aſini, & clamor uetulæ non aſcendunt in cælum. ubi & uetulam exprimi opinor, quòd mulierculaorum & anicularum genus leui de cauſa & uel qualibet offenſiuncula ſtatim tangatur, temerè iraſcatur, & ad uindicandum ſe ſe proſiliat: proinde uociferentur, & maledicant, opprobria loquantur ualde multa,

-οὐδ᾽ ἂν νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο:

hoc eſt, ut ne nauis centiremis pondus ferat, ut commodiſſimè, & hoc ipſum prouerbialiter dixit AEneas Homericus Iliad. libro 20. Sícque de pueris mane ad literas excitis ſatyricus ait,

-*Arcadiæ pecuaria rudere credas.*

ubi & ruditum aſinorum uix alibi lectum adnotatum à Nebriſſenſi reperies. Sanè uerò rudere ipſum apud authores frequētiſſimum eſt: illud uerò etiam rariſſimum. quod enim hoc ha-

bet author Philomelæ tributæ Ouidio inquiẽs:
.-tardus rudit, onerat aſellus.
nos rudere hîc uulgò bramare dicimus, Græcis orta uoce, quibus idẽ eſt βραμᾶσθαι & βριμᾶν, ſiue βριμᾶν & βρωμᾶσθαι propemodum.

Prouerb. 16.

ASINI LABOS. *Vulgare hoc quoque prouerbium eſt, quo ſignificantur imprimis rudes & ingenio perexiguo, etſi uel maximo corpore, & labori ferẽdo aptiſſimo: quales etiã dicuntur aſini* Antronij*, prouerbio memorato ab* Herm. Barbaro *in* Pomp. Melam, lib. 2. Ma*gis uerò tandem hoc prouerbio cõmendãtur uel deplorantur tales, aut alij quapiam neceſſitate adacti, quanto poſſunt, aſſiduóque labore quodam abiectiore, ſuis uel aliorum rebus cõſulentes. unde & alio prouerbio, ipſo etiam uulgari,* Aſellæ *domini noſtri dicuntur. quandoquidem aſina creditur geſtaſſe* Mariam Chriſti *matrem cum illo: tum eũdem ſolum omnium dominum, iuxta* Propheticas *uoces, & euangelica teſtimonia, tum piè tradita longè notiſſima, cùm interim ſibi tantum laborem non inſumeret: ſed ſcilicet homini, ſoli beatitudinis æternæ capaci, ſicque fructus paſſionis redemptioniſque ſan-*

quiſque occurrens adorabat) intumuiſſe: tum audiuiſſe (quod in pleroſque dignitate inflatos cõmodum dixeris) οὐ θεὸς σὺ, τὸν θεὸν δ' ἄγεις. ad quod etiã ſpecialiùs adluſiſſe uideri poteſt Scipio. quandoquidẽ ut uel ipſe Apuleianus aſinus perquàm lepidè docet, aſinus Syrius ſtatuam deæ circunferens, multas miniſtris ipſius colligebat pecunias, tum alia, quæ dorſo eius congerebant, ut duplici ſcilicet ſarcinæ pondere grauatus, & horreum ſimul & templum incederet. Adhæc non ualde abſimile eſt, quod uulgò dicitur, Honores mutant mores: adde ſenſus, ut uiſum auditúmque adeò ut pridem notiſſimos amicos ſtatim non agnoſcant qui honoribus amplificãtur, ut nimiũ uera eſt fabella Abſtemij.

Prouerb. 8.

ALIVS EST QVI SEMINAT, *& alius eſt qui metit. Verba ſunt Chriſti in euangelio Ioan. cap. 4. ubi & Theophilactus exprimit ſermonẽ, uerum dici prouerbiũ uulgò iactatũ hoc. quod quidẽ in hoc probauit Chriſtus, ut qui ſeminat, ſimul gaudeat & qui metit. quo nobis commendauit modeſtiam & diligentiam: monuit agnoſceremus uenerãdam antiquitatem, & maiorum in rebus omnibus pro-*

batis laborem & induſtriā imprimis ſibi meruiſſe coronam: deinde poſteritati diſpoſuiſſe & commonſtraſſe uiam, quam proſequens ad metam perueniat, in qua ſibi hæc ſimulem lauream nanciſcatur. Conemur omnino quantum poterimus, ne fruſtrà nobis illi præluſerint: præcipuè ne quantum illos ingenio ſuperare dicimur, tantum benè uiuendo ſuperemur, & (quod peſſimum eſt) ueritatis callem non tenentes, perpetuò erremus, & audiamus illud in impios Iudæos haud ab re dictum ab eodem Chriſto uerbum: Cecinimus uobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. quod parùm aduertit cæcatos malo ſuo iam nimium multos hæreticos, qui uerè uiam Dei ſcire nolentes, ambulant in deſiderijs ſuis per ſolitudinem inaquoſam, ubi dum nihil eſt à ueneranda antiquitate ſeminatum quod metant, ut & congaudeāt, ipſi ſua ſeminant: aut ab eiuſmodi antea ſeminata, talia ſibi metunt, ut & ipſi crucientur. ſitque ita uerum uerbum, ut alius ſit qui ſeminet, & alius qui metat, & ambo triſtentur. Poteſt quoque dici alium ſeminare & gaudere, & alium metere & cruciari. & cōtrà, ut cùm à bonis quicquam prodit, quo praui abutuntur, aut malorū quapiam re boni ſibi proſunt:

quandoquidem mundis omnia munda ſunt: immundis nihil eſt mundum.

Prouerb. 9.

AMANTEM REDAMA. *Vulgare uerbum eſt, quod ita effert* Petrarcha, Prouerbio ama chit'ama, è fatto antico: *defluxiſſe uidetur ab illo antiquo non ſolùm* Ethnicorum, *uerùm etiam magiſtrorum* Hebræorum *errore, quo amici quidem dicebantur amandi, inimici uerò habendi odio. eo uerò nos utemur, intelligentes quidem omnes propter deum, quemadmodum ipſe iubet, amandos etiam nobis inimiciſſimos.* Cæterùm, *in arctius & lõgè ſpeciale amicitiæ & familiaritatis uinculum & officium admittendos, quos ad id ſatis nos amare iudicauerimus, probatos tempore & conſuetudine, iuxta prouerbium, quod perhibet oportere quandam ſalis menſuram edere ſimul, antequã ſe mutuo ad amicitiam cognoſcant homines, ut tradunt* Ariſtoteles *ac* Cicero. Huc *uerò etiam uſurpatur illud* Chriſti *in euangelio* Ioannis: *Eum qui uenit ad me, non eiiciam foras.* Spe*ctat maximè quod & ſic exprimit* Heſiodus, τὸν φιλέοντα φιλεῖν, καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι. Pertinet *quoque id quod ait* Ariſtoteles Ethi-

corum lib.8.cap.8. laudari, qui amant amicos. Et ita lib.9.cap.8, φασὶ γὰρ δεῖν φιλεῖν μάλιστα τὸν μάλιστα φίλον. Subinde quoque, eodem frequentiſſimo teſte, cùm circunſpecta ſcilicet communio ad amorem idonea ſit, & amicitia communicatione conſtet, prodeunt illa, μία ψυχή· καὶ κοινὰ τὰ τῶν φίλων· καὶ ἰσότης φιλότης.

Prouerb. 10.

AMYRIS FVRIT. Hoc prouerbiũ refert Thomæus uariæ hiſtoriæ li.2.ca.ult. natũ ex eo, quòd cùm Amyris Sybarita, unus ex legatis à ſuis de futura felicitate quærẽtibus, ad Apollinẽ miſſis, accepiſſet ruituros Sybaritas, cùm pluris facerent homines, quàm deos, & uideret ſeruum à domino uerberatum, ad aras quidem profugientem, nihil ſibi profuiſſe: ſed tandem cùm ad paternum domini ſepulchrum confugiſſet, res omnes ſuas confeſtim uendidit, & locum mutauit: tùmque primùm à Sybaritis tanquam inſaniens riſus; demum uerò cùm non multò pòſt à Crotoniatis cladem acciperent, prudentiæ nomine commendatus eſt. Docet quemque ſua grauiter curare, & ſibi circunſpectè proſpicere, ne quicquam uereri inſanum & ſtultum uideri & ſubſanari, dum

quicquam honeſtè & utiliter agit: talémque ſolum ſapere uideri & admirandum, cæteros deſipere planè, & ridiculos eſſe. nec minoris facienda eſt doctrina, quòd à falſa narratione deſumi uideri poſſit. Quandoquidem & dæmones multò magis quàm homines, ſcientia rerum & peritia præditi, probabilibus coniecturis prædicere poſſunt futura, præcipuè mala quæ ipſi facturi ſunt. Accipiunt enim ſæpe poteſtatem à Deo, qua morbos & alias calamitates mortalibus immittũt. Peruerſis amatoribus terrenorum commodorum malefacta ſuadent, ut multis ſcripturæ locis conſtat, & traditur in rhapſodia Gratiani, 26. q. 4. c. ſciendum: nec mirum eſt Sybaritas ſubuerſos, cùm religionem qualem qualem negligerent: quando ob eandem & ſimilem diuinum cultum, etſi non uerum, quem uerum putabant, iidem & cæteri Ethnici florentes, bonis terrenis donati eſſent, ut diſertè adnotat D. Hieronymus in Danielem, cap. 4. Porrò eiuſdem prudentiæ & conſtantiæ admonet factum Loth: qui cùm doctus ab angelis Sodomam ſubuertendam, moneret generos ſuos, ut ſecum inde recederent, illi uerò quaſi ludentem paruì facerent: nihilominus ipſe aufugiens illæſus permanſit: illos uerò ſerò pœnituit

ſuæ leuitatis: quemadmodum & omnibus impiis mortuis eueniet. Quorum peropportuna eſt huic tractationi cantilena illa, qua ſic dicentes facit ſapiens uidentes iuſtos, Hi ſunt quos aliquando habuimus in derriſum, & in ſimilitudinem improperij. Inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Nec deſunt exempla ſummorum uirorum, qui etiam deſipere ſimularunt, ut ſibi cauerent. In quibus eſt apud Hebræos Dauid, qui timēs ſibi ab Achi rege Geth, immutauit ſe coram eo, ita ut ueluti inſani ſaliua deflueret in barbam, & collaberetur idem inter manus ſeruorum, impingerétque in oſtia. Apud Græcos etiam inter cæteros memoratur ab AEliano Meton: qui ut immunis fieret ab expeditione periculi pleniſſima, quam parabant Athenienſes, nauigationem inſtituentes in Siciliam, etiam domum propriā incendit. Latinis eſt Romanorum conſulum primus inde dictus Brutus, quòd ut tutus eſſet, à ſuorum inſidiis ſtultitiam finxerit. Quam ita ſimulare loco, ſummam prudētiam eſſe, denique etiam perhibet notiſſimus uerſiculus.

B VE

Prouerb. 11.

AMVSSIS ALBA IN ALBO LApide. Hoc prouerbium (quod & docet Budæus in Pandec. tract. ſi menſor falſum modũ dixerit) notare uidetur rudem, confuſam & incertam curam, induſtriam & diligentiam. ut illa, quæ ſacer Parœmiographus ignorare ſe profitetur, uiam ſcilicet aquilæ in aëre, ſerpentis in petra, nauis in mari, uiri in adoleſcentula. Eſt enim in Hebræo בְּעַלְמָה & utique uox עַלְמָה ubique uirginem adoleſcentulam ſignificat, ut noſtri defendunt aduerſus Iudæos recentiores, & optimè docuit Pagninus. Cæterùm, hac uia intelligi opinor capti amore puellæ ineptias: qualem uaniloquentiam notat Homerus, ubi ait:

Παρθένος ἠΐθεος τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιϊν.

Prouerb. 12.

ANIMAM DEBET. De eo dictum uidetur, qui mutuo ac debito ſoluendo obnoxius, & inidoneus, uitam deberet creditori, tandem capite pœnas dans quaſi perfidiæ & fraudis: qualis inter Mimos Publianos dicitur, Acci-

pere quod dein ſoluere nequeas. quam tamen pœnam ut nimiùm acerbam, neminem paſſum teſtatur Cæcilius *iuriſconſultus apud* A. Gellium *lib.* 20. Aut *de eo ſimiliter hoc dictum uideri poteſt, qui ſoluendi debiti impotens, nihil habens reliqui, quàm uitam ipſam, miſeram ſeruitutem ſeruire creditori cogeretur, quàm mortalitati ferè comparari, ait* Vlpianus. *nec mirum: & hanc ſuſtulit* σεισάχθεια *(quam dicunt)* Athenienſibus Solon. *ſicque reſcripſerunt imperatores, ob æs alienum ſeruire liberos creditoribus cõpelli, iura non pati.* Aut *certè de eo idem dictum accipi poſſe dices, cuius fortitudo(ut ſimili prouerbio habetur) in neruũ erumpere poſſit, qui ſupra uires facultatum ſuarum auſit mutuum ſumere, aut pro alio ſpondere, ſperati cuiuſpiam ingentis commodi gratia.* Quod *ſi feſellerit, futurum ſit æris alieni ac debiti iudicati cauſa, ut detrahatur in carcerem, aut communione interdicatur: excommunicetur inquam, quod magis tenet animam.* In *quo tamẽ etiam legitima ceſſione bonorũ ſuccurritur.* Quin *de eo hoc uidebitur intelligi,* Quicunque *pauper eſt, mutuum accepit & debet, præſertim uſuras ea de cauſa pendens.* Quandoquidem *ut quidam poëtarum ait,*

Τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.

Et ſacer Parœmiographus, ut nos uulgatũ habemus, diues pauperib⁹ imperat, & qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis. ubi obſerua uocem ultimam מַלְוֶה, qua non ſolùm fœnerator, uerùm etiam omnis mutui dator dicitur. Sic & hic debitor ſua, uel alterius cauſa ut fideiuſſor obnoxius alij animam dediſſe legitur in eccleſiaſtico libro filij Syrach cap. 29. quoniam etiam aſſiduè angitur, aut in continuo periculo eſt ob repetitionem crediti: Id quod uel de uitæ debitoris neceſſariis cogi ſolet, ad ídque auferri etiam ſtramentum de cubili, illo quoque teſtãte. Huius uerò etiam miſereri uult creditorẽ ſummus legiſlator & iudex Deus, uetans eum quaſi exactorem urgere, aut uſuris opprimere debitorem, aut retinere quod ei fuerit neceſſarium. Sed uel miſerrimum omnium debitum eſt illius, qui ſe deuouit, & dedidit Plutoni principi inferorum, diuitiarum deo haud ab re dicto, πλουτοδότῃ, καὶ μεγαλοδώρῳ, & operibus eius, quo citas & infelices conſequeretur diuitias ipſas, πλοῦτον & מָמוֹנָא iniquitatis utique dictas, iuxta quoque horrendum, & per ſe indignum memoratu impiorum adagium habẽs, oportere

eum qui diues fieri uult, annis aliquot faciem à Deo auertere, ſcilicet quod faciebant ſenes capti impudico amore Suſannæ, euertere ſenſum ſuum, & declinare oculos ſuos ut non uideat cœlum, nec recordetur iudiciorum iuſtorum. Cui malo unquam uix ullum inuenias remedium: cùm ut dimittatur peccatum, reſtitutio integra facienda ſit iis, quibus abſtulerit, quam uel nolit, nec poſſit. Vnde (prô malum) de eo maximè dici poſſit, Animam debet.

Prouerb. 13.

ARDORIS PEPLVM. *Prouerbium in corrumpentes & criminantes (ut Baptiſta Pius adnotauit in Sidonij Apollinaris Felici inſcriptum panegyricum) ab eo deductum eſt, quod prolixiùs narratur, & uulgò notum eſt ſatis, de peplo, Neſſi ueneno quaſi philtro infecto, miſſo à Deianira ſacrificaturo Herculi, qui eo incenſus arſit. quo certè imprimis in Neſſo prauitas eorum notatur, qui amicorum uel coniugum, uel aliàs coniunctorum alterum ſubornant, alterum criminantes, & in ſuſpicionem quantamcunque poſſunt rapientes uiolatæ aut lædendæ fidei, & cuiuſpiam fraudis. quod genus eſt hominum planè diabolicum. quandoquidem*

ex eo dicitur diabolus Græco *uocabulo: & is ſerpens antiquus primum genus aduerſus* Deum *ſubornauit, & ipſum* Deum *criminatus eſt, quaſi ob id pomi eſum uetuiſſet, quòd inuideret homini meliora. deinde accuſatur inimicis credentium facilitas, & maximè mulierum propria credulitas, & nimia omnibus in rebus ſecuritas, & pernicioſa ferè ſedulitas, quæ iam olim ipſos protoplaſtos perdidit. Nil mirum, ſi & noſtræ leges teſtantur ipſas contra propria commoda laborare: unde & meritò nil ipſis ciuilis adminiſtrationis creditur.* Denique *docetur inſperatiſſimus ferè ſceleſtorum, ut adulterorum exitus, quibus nihil eſt tuti, & conueniens eſt ardor, qui calent ut clibanus ſuccenſus à coquente, ut* Oſeas *inquit. Quare & dum dignum malum optaueris,* Iolen *pro* Deianira, *hoc eſt pellicem, pro uxore fouenti cuiquam, elegantiſſimè dixeris,* ἄιδης πέπλος.

Prouerb. 14.

ARDVVM EST ADVERSVS DVO, *contrariáque pugnare.* Iam *olim tritum uerbum hoc, rectè ſe habere ſcribit* Plato, *legumlationis ſuæ uolumine undecimo. reſpicit autem alia duo per ſe celeberrima.* Primum *eſt il-*

lud, cuius idem meminit in Euthydemo *& Phedone,* Ne *unus uel* Hercules *quidem contra duo.* Quod *& ita legitur* Eccleſiaſtici *cap.* 33, Duo *contra duo, & unum contra unum. quo imbecillitatis humanæ, & modeſtiæ admonemur, ut intelligamus nos nihil eſſe: & ſi quid ſumus, alium qualibet in re tantum eſſe poſſe, quantos nos eſſe arbitramur.* Timeamus *igitur plures, niſi in manifeſta cauſa* Dei *certò ſperemus eius auxilium adfuturum, ut nos probè inter alia docet prioris* Machabæorū *libri caput tertium.* Poſtremum *autem hîc ſignificatum documentū eſt, quod dicimus,* Difficile *eſſe omnino tenendum uirtutis inter duo extrema poſitum aſſequi medium, ut in circulo centrum attingere: idque cùm ex aliis, tum ex* Ariſtotele Ethicωn Nicomachiωn *lib.2.cap.ult. & ſiue* Richardo, *ſiue* Cydonio *eius interprete* Græco *(quem tantùm nobis legere cōtigit) confutationis* Muhamedicæ *legis cap.5. ſicque quàm prudentiſſimè & attentiſſimè ſemper omnibus in rebus uirtuti inuigilandum docemur: ne, quod & notat poëta, ſtultè uitantes uitia, in contraria curramus.*

Prouerb. 15.

ASINI CLAMOR. Hocæ *nimium*

noto uulgi prouerbio arguuntur nulla uel iniuſta de cauſa indignabundi & clamoſi, qui inter ea nihil ſibi proſint, nec obſint aliis, ſed & ridiculi fiant, uel appareant improbi. ita qui conuiciis, aut diris imprecationibus aliquem iniuſtè uexant, & anathema dicunt, potiùs ſibi nocent, quàm ei qui patitur iniuriam, ut docet B. *Auguſtinus à* Gratiano *relatus* 11. q 3. *cap. illud. unde & prolixiùs dicitur: Clamor aſini, & clamor uetulæ non aſcendunt in cælum. ubi &. uetulam exprimi opinor, quòd mulierculatum & aniculartum genus leui de cauſa & uel qualibet offenſiuncula ſtatim tangitur, temerè iraſcatur, & ad uindicandum ſe ſe proſiliat: proinde uociferentur, & maledicant, opprobria loquantur ualde multa,*

-οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο:

hoc eſt, ut ne nauis centiremis pondus ferat, ut commodiſſimè, & hoc ipſum prouerbialiter dixit AE*neas* Homeri*cus* Iliad. *libro* 20. *Sícque de pueris mane ad literas excitis ſatyricus ait,*

-*Arcadiæ pecuaria rudere credas.*

ubi & ruditum aſinorum uix alibi lectum adnotatum à Nebriſſenſi *reperies.* S*anè uerò rudere ipſum apud authores frequētiſſimum eſt: illud uerò etiam rariſſimum. quod cùm hoc ha-*

bet author Philomelæ tributæ Ouidio inquiẽs:

.-tardus rudit, oncat aſellus.

nos rudere hîc uulgò bramare dicimus, Græcis orta uoce, quibus idẽ eſt βρωμᾶσθαι & βρωμᾶν, ſiue βρωμεῖν & βρωμᾶσθαι propemodum.

Prouerb. 16.

ASINI LABOS. *Vulgare hoc quoque prouerbium eſt, quo ſignificantur imprimis rudes & ingenio perexiguo, etſi uel maximo corpore, & labori ferẽdo aptiſſimo: quales etiã dicuntur aſini Antronij, prouerbio memorato ab Herm. Barbaro in Pomp. Melam, lib. 2. Magis uerò tandem hoc prouerbio cõmendãtur uel deplorantur tales, aut alij quapiam neceſſitate adacti, quanto poſſunt, aſſiduóque labore quodam abiectiore, ſuis uel aliorum rebus cõſulentes. unde & alio prouerbio, ipſo etiam uulgari, Aſellæ domini noſtri dicuntur. quandoquidem aſina creditur geſtaſſe Mariam Chriſti matrem cum illo: tum eũdem ſolum omnium dominum, iuxta Propheticas uoces, & euangelica teſtimonia, tum piè tradita longè notiſſima, cùm interim ſibi tantum laborem non inſumeret: ſed ſcilicet homini, ſoli beatitudinis æternæ capaci, ſicque fructus paſſionis redemptioniſque ſan-*

ctæ tum indigenti & iam participi. Et *certè ſunt aſini, laborioſiſſimi hominis ſocij (ut de bobus ait* Columella) *nec ſolùm utiles, uerùm multifariam quoque neceſſarij. unde illis propemodum cum homine parcit* Deus, *dum uult non tantùm primogenitum filiorum, ſed & primogenitum aſini, ſemel oblatum (ut* Exodus *habet) alio animali redimi: eóque in benedictionibus* Ioſeph, *filius* Iſachar *aſinus fortis dicitur* רֹבֵץ בֵּין־הַמִּשְׁפְּתָיִם: *hoc eſt, accubans inter terminos, aut (quod &* Hebræum *cõuenientiſſimè ipſum quoque ſpeciem prouerbij habens, patitur) inter duo utrinque alligata onera. quæſtus ex iis opima prædia exuperat. opera ſine dubio geruli mirifica, arando quoque. atque in* Byzantio Africæ *centena & quinquagena fruge fertilem cãpum, nullis cùm ſiccus eſt arabilem tauris, poſt imbres uili aſello, & à parte altera iugi anu uomerem trahente ſcindi, uidiſſe ſe* Plinius *ſcribit.*

Prouerb. 17.

ASINI SEPVLTVRA. *De iis dicitur, quorum carnes ſunt (quemadmodum* Ezechiel *habet) ut carnes aſinorum, inutiles, uiles, & deſpectæ, & memoria indignæ, & proinde*

monumentis & ſepulturis præcipuè magnificis ad ipſam memoriam ferè & gloriam conducentibus eadem non adiuuanda, quales cenſentur omnes publico ſupplicio affecti. quos tamen cõſulto principe, aut ſanè magiſtratu inferiore, qui in eoſdem animaduertendi poteſtatem habuit, celebri Pilati in corpore domini exemplo, & prudentum autoritate conſtat ſepeliri: niſi aliquando, uel terroris aliorum cauſa, relinqui publicè expediat, uel maximè maieſtatis crimine ſint dãnati, quod Vlpianus expreſſit Digeſ. lib. 48. tractatu, de cadaueribus punitorum. Adhæc tales habentur, pontificali autoritate prohibiti ſepeliri eccleſiaſtica ſepultura: ut ſunt imprimis, quos conſtat, aut quodammodo iudicatur impios deceſſiſſe, nẽpe hæretici, & qui ſibi ipſis necem intulerunt, de quibus in Codice Bonifaciano, tractatu de hæreticis, cap. 2. & Gratiani. 23. q. 5. ca. placuit. tum cõplures alij, quos cum aliis, tum iis locis interpretes adnotarunt, & pleniùs Clauaſius in compẽdio ſuo, tractatu ſepulturæ, cap. 29. in quibus ſunt occumbẽtes in ſimulati belli ludo, quem dicunt torneamentum. & fortè dixerunt tornamentum, aut troianamentum, à Troiano quodã ſimili diſcurſu, quod quidem adnotat Bap. Pius in Sidonium Apolli-

nare lib.2.Epiſt.2. quos etiam ſi pœniteat improbatæ audaciæ, & ſperari poſſit eorũ beatitudo, iiſdẽ tamen eccleſiaſticã ſepulturam ſacrũ conciliorum denegauit. Præterea ſimiliter Iaſon, *qui ſtrage facta ciuium ſuorum inſepultos multos abiecerat, ipſe eſt illamentatus & inſepultus abiectus, ut ſacris* Macchabæorũ *libris continetur. Et, quod maximè ad rem facit, de* Ioachimo *rege* Iuda *per* Hieremiam *ſic dicitur:* Sepultura *aſini ſepelietur, putrefactus & proiectus extra portas* Hieruſalem.

Prouerb. 18.

ASINI VELLERA QVAERIS. *Memorat* Alexander *ab* Alexandro *genialium lib. 5.cap.15. ueteres dixiſſe operam danti, ubi laborando nihil proficeret. certè competere uidetur in nimium delicatæ & futilis curioſitatis & auiditatis homines, quærentes quod nuſquã eſt, aut etiam ſi eſt, uel nullius momenti eſt, uel haberi nequit: ſicque uel ludificari malentes, quàm animo modum ponere, & ſiſtere deſiderium in iis quæ communia ſunt & plana. ut iamdudum omnibus ægris ferè contingit, quibus exteræ, ac ne peritiſſimus cognitæ ſæpe medicinæ, atque ita ſuppoſititiæ magis placent,*

quàm remedia uera, quæ quotidie pauperrimus quiſque cœnat, ut Plinius ſcripſit. ſic etiam pluribus nulla neceſſitate frequentatum, ranarum cibum, etſi laudatum Aloiſio Mūdellæ medico, improbat Steph. Aquæus melioribus rationibus: quibus nil obeſt ille malè audorum & horrēdarum deliciarum patronus. Etenim ſæpe cognitum, obtruſos pro ranis bufones, aut etiam pro aquatilibus ranis terreſtres, ipſas etiam, quia cum bufonibus coëunt, pernicioſas prudentiſſimis quoque haud diu dilato exitio fuiſſe. hos ita quoque dixeris, ſetas pro lanis incidere, & cùm poſſint capram primiparam, canem malam mulgere, quod eſt apud Theocritum in Hodœporis. Similiter eoſdem dixeris auium gallinarúmue lac quærere, etiānum uulgatum antiquo eruditorum prouerbio, quod adnotat Fran. Picus in hymnum ſuum ad Virginem deiparam. Dixeris eoſdem quærere oleum petræ, aut diaboli ſtercus. quibus tamen nominibus naphta uocatur, bituminis genus, quòd è petroſis locis & ſaxoſis montibus defluat, & malè oleat, ut docent autores cenſuræ Meſſuæ. Inſuper hæc facilè traxeris in tyrannos, dominos auaros & rixoſos, exquiſitis, quæſitis, & petitis occaſionem quærentes extorquendi quæ-

cunque uolunt à ſubditis: atque eos, ſi non pareant, etſi collibuerit, malè mulctandi & uerberandi. quos item nodum in ſcirpo quærere, uetere prouerbio dixeris, pilos in ouo, & quinque pedes ouis quærere uulgus ait. Hûc & *faciunt illa ſapientis inter prouerbia ſcripta, & nobis prouerbialiter frequentata,* Semper iurgia *quærit malus: occaſiones quærit qui uult recedere ab amico.* Tum *illud:* Canem *cædere uolens, facilè inuenit baculum, quod memorat* Hadamarius *in ænigmatis, & commodiùs* Adria. Barlandus *in galli & cati fabula.*

Prouerb. 19.

AVREIS AEREA. Hoc *prouerbio notabitur ſtultitia illorum, qui dignioribus uiliora ſibi comparant: ut* Glauci *apud* Homerũ Iliados 6. *permutantis aurea æreis* Diomedis *armis.* Eodem *quoque notatur ingratitudo & illiberalitas eorum, ſummorum maximè (quos tanquàm deos & imagines animatas* Dei *datoris bonorum magis decet liberalitas) qui pro ingentis pretij donis parua retribuunt, aut nihil niſi magno cuiquam concedunt. ſic principes, magiſtratus & beneficia uẽdentes, aut ob eiuſmodi, diplomatum cera uel plũbo obſignatorum*

gratia, immodicum pretium accipientes, aut emungi ſinentes, æram & plumbum pro argento & auro dare dicuntur interpretibus pontificij iuris, codice Gregoriano, tractatu, de reſcriptis, cap. Sedes. Contrà etiam commendatur gratitudo & beneficentia eorũ, qui magna pro exiguis tribuunt. ut Darij, qui cùm priuatus ueſte donatus eſſet à Syloſonte, poſtea rex effectus, ei patriæ Sami poteſtatem dedit, aureis ferrea (ſi pretium ſpectes) cõpenſans, ut Aelianus habet uariæ hiſtoriæ lib. 4. ſimúlque hôc præſentis temporis felicitas in quibuſdam, facta præteritorum collatione, æſtimatur. ut à Iuſtiniano in proœmio digeſti à ſe iuris Romani, ea compoſitio, longè utilior antiquorum confuſa & infinita prolixitate, ſi non contra eius præcepta denuò uerboſiſſimus, confuſis, & infinitis commentariis, peioribus etiam ob fœdam barbariem & inſcitiæ ac temeritatis frequentiſſima deliria, infecta & propemodum confecta fuiſſet. ſicque Deus eccleſiæ ſuæ nouæ maiorem gratiam & præcellentia dona futura, per Eſaiam prædicauit: Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum. quæ omnia meras parœmiologias ſapiunt. Hoc item con-

trà, temporis huius conditio eleuabitur, natura quodammodo & mores hominum ſeneſcere & degenerare, quódque, ait Poëta, *omnia in peius ruere, ſubſtitui deteriora prioribus uariè ſignificabitur, quomodo apud* Heſiodum *aureo & argenteo generi hominum ſuccedit æreũ, tum heroum generi ferreum.* Et *in ſacris*, Rex Roboam *pro clypeis aureis, quos fecerat* Salomon, *fecit ipſe æneos. clamátq;* Hieremias, *Quomodo obſcuratum eſt aurũ, mutatus eſt color optimus. filij* Sion *inclyti, & amicti auro, quomodo reputati ſunt in uaſa teſtea, opus manuum figuli. quæ licet hiſtoriam excidij* Hieroſolymitanæ *urbis reſipiant, quo omnis decor eius diſſipatus eſt: tamen altiori ſenſu templi myſtici deiectiones ſignificant, quod quotidie in reproborum uita & moribus obfuſcatur atque deſtruitur.* Et *filij eccleſiæ qui inclyti fuerunt chriſtiana religione, & ornati ſapientiæ fulgore, & decore uirtutum, nunc emolliti carnalibus deſideriis, & terrenis cupiditatibus tabefacti, uaſis teſteis comparantur, ut adnotauit* D. Hieronymus. *ita (quod idem alibi ait)* Eccleſia *poſtquàm ad chriſtianos principes uenit, potentia quidem & diuitiis maior, ſed uirtutibus minor facta eſt: &, ut cecinit* Albius Tibullus,

Tunc meliùs tenuêre fidem, cùm paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.

nunc enim (ut intelligimus nos) primitiuæ eccleſiæ Chriſti & ſanctorũ imaginibus ligneis, catholicæ religionis ergô (quicquid garriant illius uerbotenus reſtauratores hæretici) ſubſtitutas aureas etiam, uehementer probamus: ſed pro conſcientia & moribus aureis, ligneam & terrenam uitam multis eſſe dolemus, & omnino emendari optamus, quò & tandem in minimo fideles, inutiles ſerui, ſuper multa conſtituamur à domino, & hæc uerorum ſimulachra bonorum concedant ſolidis diuinitatis theſauris. diuina utique, ceu aurea catena cælo demiſſa, omnia ad ſe trahunt, humanis omnibus præſtantiora multò, quàm (quod ille dixit)
χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Prouerb. 20.

AVRVM TOLOSANVM. *Prouerbiũ eſt in ſacrilegos, inde calamitoſos: ut illud, Sambico grauiora pati. Et illud ſimiliter, Equum Seianum habere, quæ ſimul retulit Alexãder ab Alexandro genialium lib. 5. cap. 15. Meminit huius etiam Ioannes Textor in Cornucopiæ, ex Gellio utique, malè tamen legens quæ is, ubi de*

equo Seiano præcipuè agit; ita interſerit. Eadem ſententia eſt illius quoquè ueteris prouerbij, quod ita dictum accepimus, Aurum Toloſanum. nam cùm oppidum Toloſanum in terra Gallia, Q. Cepio conſul diripuiſſet, multúmque auri in eius oppidi templis fuiſſet, quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabilique exitu periit. quæ & conteſtantes longiùs repetunt & latiùs explicant Strabo lib. 4. Iuſtinus lib. 32. Oroſius lib. 5. nec ab re erit ex ſacris bibliis animaduertere, Hebræis etiam idolorum donaria ſibi accepta exitio fuiſſe: tum Menelaũ rapinæ ſacri deo ærarij autorem de turri præcipitatum: Heliodorum templum Dei ſpoliare conãtem, grauiſſimè cæſum: Antiochum ablatis ipſis uaſis ſacris, diro dolore uiſcerum tortum, cecidiſſe, & computruiſſe: Balthaſarem eiuſmodi profanatis uaſis nocte una regnum cum uita perdidiſſe. nec meliora ſperare licebit horum ſimilibus noſtri temporis, uel religionis peruerſæ prætextu ſacrorum uiolatoribus, quibus ἀξίωμα κάλλιστον eſt undecunque compilatum aurum, ipſum quodcunque tamen etiam κακῶν ἀρχὴ dictum, multò magis Toloſanum, hoc eſt malè & impiè quæſitum: qui & licet in labore hominũ non uideantur, & cum homi-

nibus non flagellentur, in diem perditionis ſeruantur, & ad diem furoris ducentur, certiſſimo diuinarum literarum teſtimonio. Inde quoque *hoc dicetur in eos qui quocũque modo malè parta habent, aut aliâs ſceleſti ſunt, & calamitoſi iam intus utique, aliquando tandem extrinſecus etiam futuri. tum de piis & bonis idem dicetur, eos quaſi malos aſſiduis malis & infortuniis hîc uexari dolendo quidẽ, non etiam ob id ipſos malos ſuſpicãdo, aut deum iniquitatis accuſando, cuius iudicia ſemper iuſta, etſi incognita ſæpe nobis ſunt.*

Prouerb. 21.

BELLÈ OMNIA DICIS. *Prouerbiũ hoc eſt* Platoni *in* Euthydemo, *etiamnum uulgò frequens in eum, qui argutulè & ingenioſè, & pulchra & ſuauia quidem ait: at ſuſpecta ne non uera ſint, aut quæ planè falſa ſunt, uel inefficacia. cuiuſmodi omnia reiiciuntur à ſacris, eccleſiaſticis, iudiciis, & ſeriis omnibus.* Hûc *accedit & mythologema murium: quibus conſultantibus qua arte felis inſidias uitare poſſent, pretium curæ uiſum eſt illius collo ſuſpendere tintinnabulũ, cuius ſonitu opportunè aduentus hoſtis admonerentur, tum ſenior mus de-*

nique eandem quidem ſententiam probans inſit: ſed quis collo felis tintinnabulum ſuſpēdere audeat? idque inſeruit altero hecatomythiorum ſuorum abſtemius, & paſſim uſurpari uidemus.

Prouerb. 22.

BELLEROPONTES LITERAS.

Prouerbium hoc adnotatum à Baptiſta Pio in Sidonij Panegyricum Maioriano dictum: ortum eſt ab eo quod de Bellerophonte refert, genus ſuū recenſens Diomedi Glaucus apud Homerum Iliados 6. eum ad Prœtum profugum, & eius hoſpitem, ab eiuſdem uxore ad adulterium ſolicitatum renuiſſe turpitudinem operari, tum ab eadem marito delatum quaſi ipſi nolēti miſceri tentaſſet, ad Lyciæ regem miſſum, cum literis continentibus pernicioſa multa: quorum ignarus ipſas literas regi dedit, & ab eo multis periculis expoſitus eſt. quibus tamen demum periculis glorioſior euaſit: unde & filia regis cū regni dimidio donatus eſt. Similis quidam euētus narratur in ſacris fuiſſe magno illi Ioſeph Hebræo. nec diſſimilis Vriæ hiſtoria, etſi diſpar exitus. cui quippe ipſæ literæ, quas ipſe tulit, non tantùm periculo, uerumetiam exitio fuêre. unde

& in prouerbium uulgo uenit, quale hoc. V-*trunque de eo dicitur, qui literas alterius, eius uel ſua cauſa perferendas accepit: cúmque eædem contineant pernicioſa, ſibi imprudens nocet, periclitatur, & grauia patitur. Quòd ſi quiſpiã ex iis, & ſimilibus inimicorum technis tandem (ut fit ſæpe) emerſerit, & euaſerit clarior, de eo (ipſius uirtutem & imprimis* Dei *bonitatem admirando) nimirùm perſcitè dici poterit,* βελλεροφόντης τὰ γράμματα.

Prouerb. 23.

BYZENA TEMERITAS. *Dictum à Bizeno,* Neptuni *filio, procaci admodum & inſolente, ut habet* Alexander *ab* Alexandro *genialium lib. 5. cap. 15. etſi, inter* Neptuni *filios, quos recenſet* Plato *in* Critia, *tum* Gellius *lib. 15. uel alÿ (quod meminerim) is non eſt.* Prouer*bium eſt in eiuſmodi homines, quibus* βυζηνὴ θρασύτης *ineſt, qualis etiam adpoſitè narratur ab* Homero Iliados *2. fuiſſe* Θερσίτη: *qui peſſimus & turpiſſimus omnium* Græcorum, *quotquot ad* Troiam *uenerant, & omnibus odioſus, ſolus tumultuabatur, nugabatur, conuiciabatur omnibus, præcipuè optimis cumulatiſſimè: calumnias ſerebat, & clamabat inſolen-*

tiſſimè. Quod genus eſt ſeditioſorum, in quo ſunt hæretici, qui tertio quoque uerbo ecleſiaſticos ordines & magiſtratus conuiciis proſcindunt, & criminātur effuſius. quos etiam malos, dum tolerantur, honorari debere conſtat. unde & Paulum apoſtolum pœnitet maledixiſſe Ananiæ impio Hebræorum ſummo ſacerdoti, poſtquàm intelligit ſummum eſſe ſacerdotem.

Prouerb. 24.

CAEREMONIOSVS. *Cæremoniis quibuſdam ad diuini cultus decus & decentis affectus auctum, uſa eſt ſemper quæcunque, hoc eſt, ſeu uera, ſeu falſa religio, ut Ethnicorum & Muhamedicorum ſemper falſa, & Hebræorum olim uera, nunc reproba, & Chriſtianorū catholicorum unicè probanda eccleſia. unde hac uoce uulgo prouerbialiter notatur faſtus, affectatio, & curioſitas inepta & faſtidioſa eius, qui quæcunque agat, aut agi imperet, quaſi diuina cælo & immortalitate digna ſint, certis & exquiſitiſſimis modis omnino agi curet. ad quod pertinet illud Satyrici,*

-nec minimo ſanè diſcrimine refert

Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.

Quod ipſum ignorans, etiamnum rideberis à

pluribus, & habeberis indoctior, ceu Themiſtocles ſolus uti lyra neſciens in conuiuio.

Prouerb. 25.

CAPRA GLADIVM. *Ortum eſt prouerbium à capra, quæ ſcalpturiens, in terra defoſſum gladium quo ſacrificaretur, eruit & manifeſtauit. dicitúrque in eos, qui ſibimet necem & damnum moliuntur, ut adnotauit Baptiſta Pius in Sidonium lib.7. Epiſt. ult. Competet in quemcunque, qui ſibi malum incumbens arripuit, uel accerſiuit, uel reperit: qui ſuapte cura & opera, peruerſa curioſitate, & ſtultitia inſolente, & ſolertia nimia, uel etiam iuſta induſtria ſibi malũ aliquod præparauit. qualis Zaleucus rex Locrenſium, decernens in furto (ut Heraclides habet) uel in adulterio (ut ab aliis proditur) deprehenſum, oculis priuandum: poſtea uerò in filio reo, & ob eum in ſeipſo illam pœnam ſuſtinens: tum Lycurgus ſtatuens mulieres, quæ in feſto myſteriorum curru ueherentur, mulctandas, mox in uxore legem tranſgreſſa & damnata pœnam ſubiens. Ex Athenienſibus item duos eiuſmodi ſortis uideas, Periclem & Cliſthenem. quorum ille legem tulit, ne quis ex utroque parente ciue non natus,*

ciuis eſſet: deinde autem amiſſis duobus genui-nis liberis, nothum tantùm ſuperſtitem reliquit, qui talis non erat. hic uerò autor exilij, primus eodem ſupplicio eſt damnatus. quid per illum commemorem, & ipſum Athenienſem, ærariũ nimiùm decantatum? qui Phalaridi tyranno taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne ſubdito, & primus eum expertus eſt cruciatum, iuſtiore ſæuitia. qualia ſæpius contingunt con-ſiliariis principum, affectantibus illis placere in diuexandis ſubditis, & ab his emungendis extorquendíſque pecuniis, quas habent & non habent, ut uulgo queruntur. quoniam uel tan-dem circundant eos adinuentiones ſuæ, quibus in malitia ſua lætificauerunt regem, & in mẽ-daciis ſuis principes, iuxta multitudinem adin-uentionum ſuarum, ſic & ſuſtinent. Quia nu-dauerunt pauperis domum, nihil permanet de bonis eorum (ut ſacra habent) iuſtiſſimo uti-que Dei iudicio. ita iam uerè ſentiunt, quod & ſimile ominatur uulgi prouerbium, Se reperiſſe uirgas, quibus cæſi ſunt.

Prouerb. 26.

CARNIS CASTELLO NE FIDI-*to, quo nihil imbecillius.* Rudium *eſt nimiùm*

eruditum prouerbiũ, quo admonemur minimè fidendũ uel noſtris uel alienis uirib⁹ humanis, ut non maius omnino & neceſſariũ ſperetur de diuina potẽtia & bonitate ſubſidium. eſt enim homo paruus mundus omniũ particeps, humanorúmq; dominus, & uel induſtria fortiſſimus. idem corpus habet, quo ueluti caſtello quodam præcipua ſui pars anima cingitur & quadantenus aſtringitur: ídque adeò imbecille & caducum, ut bullæ, celebri quoque prouerbio, ac foliis, ſacris & profanis eloquiis cõparetur. unde eodem fortitudo debiliſſima notatur. itaque pronuntiatur per prophetam, Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à domino recedit cor eius. *dicitúrque à* Chriſto, Caro ipſa infirma. *tum teſtificatur Apoſtolus,* Sufficientiam noſtram ex Deo eſſe. *proinde ſic etiam commodùm ſcripſit* Origenes *in* Mathæi *euangelium homelia 35:* Non eſt aliquando confidendum in carne, ſed ſemper timendum de ea: quia incauta confidentia ad iactantiam ducit, iactantia ſcilicet ad ruinam: timor autem infirmitatis, ad auxilium Dei recurrere adhortatur. *ita nec timẽdum brachium carneum probè admonet* Ezechias *rex, ut habent ſacri libri* Paralipomenων.

Prouerb. 27.

CATELLAE MELITAEAE.

Fuere iam olim in abuſu diuitum, otioſorũ & delicatorum hominum catellæ, melitææ dictæ, ἀπὸ τοῦ μέλιτος, ſeu à Melitta inſula, & ipſa inde nomen trahere uiſa quibuſdam. nec dubiè Adrianũ, Poliarchũ, Xenophontis filium, Glaucam item citharistram canes adamaſſe aiunt, teneriuſculè quidẽ, adeóque ut illi eiſdem animantibus mortuis, ceu amicis & honoratis hominibus, funus ſplendidũ, & ſepulturam egregiam fecerint. mirum & pudendum omnino, etiamnum chriſtianos homines reperiri, non tantùm mulieres, uerùm etiam uiros, & ipſos nomine & profeſſione peculiari religioſos, & ingentibus pietatis negotiis addictos, quibus uel uacet, uel etiam dulce ſit catellis melitæis exerceri, qui ad nihil aliud cõducunt, quàm ut ſæpe pedendo ſuffitum dominis faciãt, ut probè Hadamarius inquit. Prouerbij uerò etiã meminit Philippus enarrator operũ & dierum Heſiodi, in delicatos. cõuenitque illis, qui delicatis inſeruiunt, quíque modo quocunque in deliciis ſunt, quos mignonos dicimus, uoce uulgari, ducta primùm (opinor) à Græco uerbo μιγνύω. quod

& in bonam partem acceperis: quando etiam numen cum hominibus miſceri gaudet, & deliciæ ejus ſunt cum filiis hominum. unde Chananæa Chriſto ſupplicans, conuenientiſſimè comparat ſe catellis edentibus de micis menſæ dominorum: atque ita altiùs cogitantes admonemur, ne ſimus ingrati Deo, ſimus & quàm ſimiles eius, ut fieri poterit. Poterit autẽ plurimùm, ſi uerè eius catelli fuerimus, hoc eſt, ſectatores indefeſſi eius, & ſponſæ ſuæ uenerabilis eccleſiæ catholicæ mirè cõuenientium placitorũ. nam & catellæ perinde ac heræ ſunt, ut commodùm habet alterũ prouerbium à Platone citatum.

Prouerb. 28.

CAVE A' THORACE. Dictũ eſt à Caſu Daphitæ grãmatici, qui eo in monte cruci fixus eſt, quòd reges carmine inceſſeret, autoribus Strabone & Pio ſecũdo, eius nominis pontifice maximo. admonet modeſtiæ & prudentiæ, quas uel loquendo omnimodo amplecti nos oportet, & cauendo indignationem principum unam, multorũ indicem malorum, & (quod ait Hebræus ſapiens) nuntios mortis. Eodem pertinet illud Pythagoricũ, colendos deos

terreſtres, ne noceant: hoc eſt, obſeruandos potẽtes (quos Ioues humanos Comicus dicit) ſaltem ne nobis inimici fiãt, uel quo pacto nos lædant. E re quoque Pollio dicebat, non eſſe tutum in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere. Similiter Cato Sacus, Homerus iuriſconſultorũ ſui temporis ſæpe Philelpho dictus, in ore habebat, Timidè loquendum de principibus. nec ab re Suidæ prouerbium eſt: βȣ̃ς ἐπὶ γλώττης. etſi omnino ubi opus eſt, fidei & religionis cauſa, ueritatis & iuſtitiæ negotium, ac denique noſtrũ officium ubi hoc à nobis exigit, intrepidè loquendum de quibuſque: ita ne hilum metuendo quantumuis lædant homines, ſed penitus qui poteſt & animam perdere, magis obediendum Deo, quàm hominibus, abundè ſacra præcipiunt.

Prouerb. 29.

CAVE TIBI À CANE MVTO, *& ab aqua ſilente. Vulgare prouerbium eſt, quo docemur timendos eſſe taciturnos hoſtes, non perinde iactabundos & loquaces: periculoſiſſima enim eſſe quæ latent. Verendúmque ſemper, ne quid tacitis & lenibus, graue & aſperũ inſit: ſolere quippe magni eſſe momenti, quæ*

parum habent oſtentationis, non ſecus quàm aqua eſt profundior & purior, quæ uadit cum ſilentio, ut eſt B. Hieronymo. *& nobiles ad uenandum canes in regno* Sophitis, *latratu abſtinere dicuntur, cùm uidêre feram, leonibus maximè infeſti, prodente* Q. Curtio. *apud quem etiam hoc refertur dixiſſe* Cobares *magus, quod apud* Bactrianos *uulgò uſurpabant, canem timidum uehementiùs latrare, quàm mordere: altiſſima quæque flumina minimo ſono labi. ídque ut oſtenderet* Beſſo *principi, inter epulas multa iactanti, & quaſi ſuper menſam debellaturo* Alexandrum *ferocienti, ipſum minimè timendum* Alexandro, *conſilio non impetu opus eſſe: obſequio mitigandum, quem ui ſuperare nequeas, aut etiam fuga iam niſi periculoſiſſima eludere nō poſſis.* In *quo &* Iubellij Taureæ *campani fortiſſimi alioquin equitis notatur timida ferocitas, & periculoſa temeritas. qui cùm* Claudium Aſellum Romanum *equitem prouocaſſet ad ſingulare certamen, & diu concertantem libero campo nil læderet, iámque ſubdubitaret, ne diutius protractum certamen in ſe rueret: affectaret tamen glorioſior aliquo pacto euadere, è campo in cauam uiam equos demitti cenſet, arbitratus fortè detrectaturum* Clau-

dium, cauſaturum in foſſa peditum non equitū eſſe certamen. aſt ille mox equum in cauum egit, & cùm longè perequitaſſet nullo obuio hoſte, in campum rurſus euectus, increpans ignauiā hoſtis, uictor in caſtra redit. Iubellius enim uerbis ferocior quàm re, quaſi tamen irridens, imbellem paruifactum, eluſum, & impeditum hoſtem: tum refugiens inquit, Minimè ſis cantherium in foſſa: & ipſum prouerbium inde ruſticis proditum, teſte Liuio, memoratum ab Alexandro Neapolitano in eum qui temerè prouocat, timidè refugit, ubi ſcilicet eò perductus eſt, ubi parum ualeat, perinde ac habens cantherium in foſſa, uel ipſe in decliui & cauo loco caſtratus equus.

Prouerb. 30.

CERCOPVM FORVM. *Prodiit adagiū ex latronibus inſignibus, qui Cercopes dicti ſunt, non Cecropes (ut habet Thomæi uaria hiſtoria lib. 3. cap. 8.) in ſceleſtos & improbos homines, fraudulentos conſultores, inſidiatores, aggreſſores, ſpoliatores uel peremptores hominum. Dixeris uulpes denſas caudas habentes, qui ad ueſperam oues comedūt, ex Theocrito: lupos ueſpertinos, qui nihil relinquunt*

in mane, cum Sophonia: *canes curiarum & deuoratores hominum communium, cum* Bartolo: *doniuoros, qui per mala iura defraudant alios, obliquas in foro iudicant iuſtitias,* θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες, *cum* Heſiodo *&* Homero. Subinde *etiã intellexeris coëuntes quoquopacto improbè, ut in alienam litem, quo condemnationis euentus inter ipſos communicetur, uel ad falſas teſtationes faciendas teſtimoniáue dolo malo dicenda, aut ut annona carior fiat, legibus ciuilibus damnatos. in quos & eiuſmodi competunt item plures biblicæ eædem ferè prouerbiales locutiones illæ,* Synagoga *ſathanæ, ſynagoga ſuperborum, ſynagoga peccantium, eccleſia malignantium, ſpelunca latronum. nec diſſimulis notæ ſunt uoces, conuenticulum, conciliabulum, monopolium, ferè in hæreticos, ſciſmaticos, ſeditioſos, fœneratores dardanarios uſurpatæ.*

Prouerb. 31.

COLOPHONIVM SVFFRAgium. Hoc *ueluti prouerbiũ, finémque glorioſiſſimum denotans, ſcripſit* M. Ficinus, *interpres* Platonis, *altera ipſius epiſtola ad* Dionyſium Siciliæ *tyrannum: ídque ex eo, quòd colophonem, hoc eſt, finem & robur imponere & ad-*

iicere imprimis prouerbialiter dictum eſt, à colophoniis uirtute & autoritate præſtantibus, ut amplè docet Budæus *in annotationibus in pādectas, tum in* Græcæ *linguæ* Commētariis. Idem *dici poteſt maximè, cùm quis ſummum uirtutis gradum, & hunc conſequentem dignū uitæ ſcopum attigerit: ut cùm multis prædictus uirtutibus, denique etiam calcata ex his ſurgente gloria, ſeipſum uicerit, ſicque in charitate deceſſerit: iuxta illa, quæ commodiſſimè canunt* Baptiſta *&* Petrarcha. Ita *ille,*

Dignior *eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima uincit*
Oppida *: nec uirtus altiùs ire poteſt.*

T*um hic ſic,*

che bel fin fa, chi ben amando muore.

Q*uanquam ipſis colophoniis aliquando intolerandam luxuriam, menſæ intemperantiam, ueſtium ſuperbiam, perniciem & interitum attuliſſe memorat* AElianus.

Prouerb. 32.

CORNV SALVTIS. *Abiit hoc in prouerbium apud* Hebræos, *uſurpatúrque pro ſalute & inſigni uictoria. ut enim cornu, corona eſt cornuti animalis, ita diuina & ſumma liberatio, cornu uocatur ſalutis, ut ſcripſit*

Sebaſt. Munſterus in Samuelem lib. 2. cap. 22. ubi Dauid dicit Deum cornu ſalutis ſuæ. Dicitur & Lucæ euangelij cap. 1. in cantico Zachariæ, Deus erexiſſe cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui. quo deſignatum uidetur, Chriſti genere humano filij Dauid, ſpiritu ſancto uncti ſacerdotium & regnum: fortè etiam quia ſacerdotes & reges ungi ſolerent oleo, ſæpe quod eſſet in cornu. Vnde & dictum ab Eſaia, Cornu filium olei, putaueris. ſícque cornu ſæpe dictum regnum, poteſtatem, ſplendorem, fortitudinem, haud à uero prorſus abſonum apparet. tametſi quoque Dauidi Chimhi Hebræo interpreti fortitudo appellatur cornu, quòd id ſit pars altior & fortitudo animalis cornuti. eóque caput in Iobo ſignificatum, & radij colloquij diuini in facie Moſis, ideo cornuta dicta. quemadmodum nunc uulgo cornuta inſigniri dicuntur, qui in ſtudiis literarum, & togæ officiis, quapiā dignitate ſeu poteſtate donati ſunt: quæ quidem faſcia ſerica eſt, in modum cornu torta & flexa ſummo ipſius talaris ueſtis loco, humeris ſcilicet & collo circumimpoſita, & dependens antè, in utroque latere. at ſecus utique quàm cornuti illi uulgo uocantur, quorum mulieres ſunt adulteræ, uel quòd tales fieri contin-

gat inſigni maritorũ ipſorum, quaſi carnium caſſarum mente & brutorum cornutorum ſtultitia, aut conſequente omnino certè magna infamia, tanquàm ſi cornua haberent, beſtiarum propria ſcilicet, & à natura hominum aliena, uel teſte Cicerone Tuſculanarum *quæſtionum lib.* 1. *ac* Plinio *lib.* 11. *Actæonem enim & Cippum etiam in* Latina *hiſtoria fabuloſos rato. Cæterùm haud abſimile eſt illud quod paſſim legitur,* Cornucopiæ, *& ipſum prouerbium, felicitatis copiam ſignificans, ut adnotat* Fran. Picus, *eiuſdem & uariam originem referens, in commentariis hymni ſui* Chriſto *cantati.* Ad *fine etiam illud adagium, cuius idem iiſdem in commentariis meminit, quo bona cùm multa, tum magna ſignificari ait,* Pontus *bonorum. quod etiamnum uulgus frequenter uſurpat.*

Prouerb. 33.

CVI BONVS EST VICInus, *felix illucet dies.* Vulgare *prouerbium eſt, quod & contrà effertur, cui bonus non eſt, aut malus eſt uicinus, infelix contingere mane, ut habet* Mathæus Afflictus, *interpres conſtitutionis inſcriptæ, de iure protomiſeos. docet ſingularem commoditatem eſſe uicini boni, & inde*

ipſum plurimi faciendũ, humanitate & liberalitate præcipua proſequendũ: contráque, ingentem incommoditatem eſſe uicinum malum, itáque ipſum ut proximum inimicum, & nimirũ impendens malum obſeruandũ continuò, ſummoperéque cauendum. Quod omne multis & magnis omnino teſtimoniis probabile, & nimiũ uerum, Heſiodus *etiam cõplexus, aut indicaſſe uidetur uno illo pulcherrimo uerſiculo:*
Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
tum uel illo,
οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.
quem uerſum Spartano *cuidam laudibus efferenti,* Diogenes *oſtendit & in populis obtinere, illi dicens:* Verùm Meſſenij *cum bobus ſuis perierunt, quorum uos uicini eſtis, ut retulit* AElianus *hiſtoriæ uariæ lib. 9. hoc ſentiunt hodie, qui deploratis & perditis hæreticorũ & ſciſmaticorum regionibus & urbibus proximi ſunt: qui licet ipſi ſub catholicis præfectis degant, turpiter diſſident quantum licet à pietate, nimirùm infecti uicina labe, fornicati cum filiis* AEgypti *uicinis ſuis, quod iampridem dixit* Ezechiel.
Porrò Heſiodus *hoc celebri uerſu reſpexiſſe uidetur ad eam communionem & ciuilem ſympathiam, qualis fuit in* Cymenſium *republica,*

quibus nempe moris erat ad illa, quæ furto fuiſſent ablata, omnes uicinos conferre, unde pauciſſima perdebant. quippe cùm omnia omnes ſimili diligentia cuſtodirent, ut habet Heraclides *in politiis, illum ipſum uerſiculum inde uideri profectum cenſens, quo* Heſiodus *canit, ne bouem quidem periturum, niſi uicinus malus adſit. quod maxime tangit legibus diuinis imbutos, & ueram religionem profeſſos. quibus omnes non deplorati impij, ſunt uicini & proximi habendi & adiuuandi: curandũ ut ſi uel bos alterius ceciderit, ſeu aberrauerit, ſubleuetur, & reducatur ei: & ne quicquam cuiuſquam pereat, ut præclarè nos docuit* Moſes Deuteron. *cap.* 22. *tum* Lucas *euangel. cap.* 10. & 14. Paulus *prioris epiſtolæ ad* Corinthios *cap.* 12.

Prouerb. 34.

CVRIOSVS PERINDE AC *delator.* Notatur *hîc curioſitas improba, qua præcipuè infames ſunt delatores, qui omnia curioſè inquirunt & perſcrutantur, & introſpiciunt oculis curioſis, ut nihil eos lateat, niſi quo muſca penetrare nequit: quare uulgo muſcæ uocantur. unde & uerbũ* Emuſcare *factum, pro latitantem & fugitantem inueſtigare. indéque*

curioſitas delatoria in prouerbiũ uenit, quemadmodum ſcripſit Budæus in Græcæ linguæ commentariis. Et certè ſunt delatores (ut nos etiamnum experimur) ſæpius concitati non uindictæ publicæ zelo, ſed priuato odio, quo nihil non mouent, ut alium uexent: utinam etiam non falſa componerent, & iudicia deciperent. ex quo prudentiſſimè apud nos uſitatum eſt, ut unus in quoque foro accuſator publicus, autoritate principis conſtitutus, delationes omnes inibi audiat, qui ut etiam inimicas, ſed ueras, quantũ apparet, admittere debet: tamẽ etiã curare debet enixè puniri, qui quoquomodo calũnias fecerint. ita memor quoque opportuniſſimè illius dignæ principe uocis, Delatores qui non caſtigat, irritat. Admonetur hoc quoque uerbo unuſquiſque quodammodo taciturnitatis, & prudentiſſimæ uitæ, ut moderetur uerba & facta ſua omnia ita, ut quamminimè ullus eſſe poſſit calũniandi locus, & ne quicquam apud ullos ullibi tutum exiſtimet, quo abſtinere poſſit, dicto uel facto (inquam) liberiore. quando & ſacer eccleſiaſtes ait, In cogitatione tua regi non detrahas, & in ſecreto cubiculi tui non maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt uocem tuam, & qui habent pennas, annuncia-

būt ſententiā. Nimirùm ueteri uerbo, cuius Xenophō meminit. Multæ ſūt regis aures, & multi oculi: & uulgari adagione, parietibus ſunt aures, ac dumis oculi. unde & illud celebre apud Græcos adagiū, Hoc Corycæus inaudiuit: cùm occulta quæpiam & latentia in uulgus proferuntur, & quæ incognita putabantur, & latere ſperabantur, non ignorari uel oculi iam uidentur. de cuius quidem prouerbij origine complura Thomæus uariæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 37.

Prouerb. 35.

CVRRENTEM MONES.

Hoc ſolet dicere qui rogatur ut faciat, quod facturus fuerat etiam non rogatus, ut ſcribit Sidonius Apollinaris lib. 4. epiſt. ad Simplicium. ita quis ſciū, memorem, & prōptum ad ea quæ præſtare debet, uel ab eo deſiderantur, ſe ſignificat. commendatur hôc etiam opportuna & honeſta ſolicitudo ac diligentia alterius, alterum ad ipſum bonum quod ſectatur, cohortantis: ut ſi fieri poſſit, adhuc melior euadat, ſecundum illud ſacrorum prouerbiorum, Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. contráque, eâdem uituperatur peruerſa & improba ſedulitas illius, qui cuiquam in malo occupato

quo quomodo fauet, iuxta illud Pſalmographi, Si uidebas furē, currebas cū eo, & cū adulteris portionem tuam ponebas. quod & dicitur igni oleū addere, ipſo etiā prouerbio frequētiſſimo.

Prouerb. 36.

DABO MERVLVM ALBVM. *Dicimus hoc, uulgari prouerbio, arrogantes fidem eius, quod narramus aut promittimus: aut abrogantes fidem eius, quod alius narrat aut promittit, ita: Dabo merulum album, ni hoc uerum eſt, uel fuerit: ſeu, Dabo merulum album, ſi hoc uerum eſt, uel fuerit. aut aliâs quoquomodo iocoſè & ironicè de re impoſſibili, ſeu longè rariſſima, & pro impoſſibili habita: etſi aliquando fortè contigerit, & adhuc euenire poſſe quodāmodo uideatur. ut merulū & merulā natura atros ſcimus, nec niſi nigrū hoc genus auis uidemus. quāquam legimus alicubi albū eſſe, nempe circa Cyllenem Archadiæ apud Ariſtotelem, Plinium, & Dionyſij interpretem Rhemniū, & huius adnotatorem Maciochum. ſicut & hirundo candida nec perdice minor in Samiis uiſa proditur ab Heraclide. & coruum albū à ſe uiſum haud pridem Perottus ſcripſit. ſicque prouerbiale illud Iuuenalis ſaty. 7:*

-coruo quoque rarior albo.

Et illud ſatyræ 6,

-nigróque ſimillima cycno.

Et apud iuriſconſultos Celſum *&* Paulum *Digeſtorum lib. 45. tractatu, de uerborum obligationibus illa ſtipulationis formula,* Te *ſiſti: Et niſi ſtiteris* Hippocentaurum *dari, quidue eiuſmodi utique, quod promittenti impoſſibile eſt. de quo multa lectu iucunda* Floridus Sabinus *in ſucciſiuis lectionibus, & noſter* Forcatulus *in cupidine iuriſperitos. ex quo & illud uulgò iactatur in hominem inconſtantem:* Nec *homo nec beſtia.* Ac *illud expreſſius,* Nec *homo nec equus. ſicut dixit* S. *Iſidorus, ſæpe relatus in ſacris conciliis, de clericis ad militiã uel dignitatem profanam uenientibus, ſimiles eſſe* Hippocentauris, *qui nec equi nec homines ſunt, ex utriſque tamen compoſiti uidentur.*

Prouerb. 37.

DAEMONEM DAEMONE *pellit.* Huiuſmodi *fuiſſe prouerbium iampridem indicat* Euſebius Cæſarienſis *in confutatione quarti libri* Philoſtrati *de uita* Apollonij, *ex euangelio (ut apparet)* Marci *cap. 3.* Chriſto *dicente,* Quomodo *poteſt* Sathanas Sathanam

eiicere? ita hoc ironicè primùm in eum, qui prauo uel imprudens utitur, ad prauos corrigendos: ut hodie qui hæreticos uel latentes magiſtratus præficit, uel aſſeſſores adſciſcit, ad diiudicandos & coërcendos tales. Qua in re præ cæteris quibuſque, uigilem eſſe principem pretium eſt curæ, cùm ſit caput humanæ politiæ quoque maximè ueram religionem tenere: qua amiſſa, ruat ſtatus publicæ rei oportet. In hoc & plura prouerbia ſunt, quæ nos ſimiliter huius piæ prudentiæ admonent: ut illud, quod legitur Varronis de lingua Latina librorum qui extant tertio, Canis caninam non eſt. Et illud memoratum ab Annonio, rerum à Francis geſtarum libro tertio cap. 26, Coruus corui oculum non eruet. Et illud Hebræorum, adnotatum à pleriſque in Iob cap. 24, Lupus alterius lupi carnem non edit: tametſi quoque, ut planè docet Euſebius in confutatione libri ſexti illius Philoſtrati operis, permittente utique deo, nonnũquam dæmon pellitur dæmone, minore concedente maiori ac potentiori. Et prauus praui inſidiis circunuenitur: idémque ſimilium inſidiis perit, ut Macedoniæ tyrannis eueniſſe refert Plato in Alcibiade altero, & AElianus hiſtoriæ lib. 8. Nimirum, & cùm deo uidetur, ipſe peſſimos caſti-

gat peſſimis, qui inde dicti ſunt flagella Dei. Et primùm Aſſyrius rex ab ipſo Deo, baculus & uirga furoris eius dictus, apud Eſaiam cap. 10. tandémque futurum ſcimus diuinis doctrinis imbuti, ut dæmones omnes in barathrum ignis detruſi, torti ſimul torqueant aſſeclas ſuos, ut nunc iam quoſdam torquent narié. quos & dæmones dicere licet, ut adhuc uiuens Iudas Scariothes dictus eſt diabolus à Chriſto. Illúdque iuſtitia humana quodammodo imitatur, dum reis mortis & nihili hominibus ad hoc parcit, ut cæteros torqueant & puniant: iuxta quæ hoc etiam ſimpliciter acceperis. Tum hoc ſignificabis improbos maleficiis aptos: ad quod ſubiungit Ariſtoteles Politicorū lib. 5, Clauum clauo elidi, alio prouerbio. Item hoc notabis flagitiū flagitio tegi, culpā culpa exigi, malitiā malitia trudi, quod dixit Comicus, & adnotauit Budæus in Pādectas, tractatu de pignoratitia actione, cap. ult. ſic nec diuina, nec humana iura excuſari peccata peccatis, uel relatione criminis crimen purgari ſinunt. Denique hoc intelliges, quod habet pueris decantatus uerſiculus, & multis legum ſcitis multi probāt, artem deludi arte. & pariter dicunt, cornicum oculos configere, & os ſublinere, prouerbialibus locutionibus adno-

tatis à Budæo in Pandectas, tractatu de origine iuris, cap.2. Similitérq; iactatur prouerbio Græco: πρὸς κρῆτα κρητίζειν, ut adnotat Baptiſta Pius in Sidonium lib.4. epiſtola prima: iuxtáque cantat lepidus poëta in triumpho amoris,

che chi prende diletto di far frode
non ſi dê lamentar, ſ'altri l'inganna.

Prouerb. 38.

DE FVMO AD FLAMMAM. *Ita loquitur prouerbium uetus, teſte Ammiano lib. 14. ſcribente Gallum Cæſarem de fumo ad flammam, hoc eſt, de lethalium inſidiarum timore & periculo ad ipſam planè necem tetẽdiſſe. Nimirum reſpexit Ammianus uel ad Platonem qui extrema parte lib. 8. de iuſto idem ſic dixiſſe legitur, Ficino interprete: atque, ut uidetur, hæc propriè eſt tyrannis, útque fertur, populus ſeruitutis, liberorum hominum fugiens fumum, in flammam ſeruilis dominationis incidit, loco ingentis illius & importunæ libertatis, duriſſimam acerbiſſimámque ſeruorum ſubiens ſeruitutem. Itaque hôc notatur & deploratur ſtultitia temeritas & calamitas eorum, qui à ſimultate, uel dubio, uel minimo ceu nullo malo; & bono, in certum &*

ingens odium & malũ proruũt. Quemadmodum inquit Lodouicus Viuis *quadam tractatione inſcripta, de conditione uitæ* Chriſtianorum *ſub* Turca,*in eos, qui pertæſi* Chriſtianorum *principum dominatum, ob frequentes tributorum exactiones, & uaria onera, alios ſibi principes uel* Muhamedicæ *impietatis deſiderant: inde fieri, ut in apertos malorum gurgites ſe immergant, & quò lenticulam aut intertriginem ſanent, uenenũ hauriant, & quia parum acutè cernunt, utrunque ſibi lumen extingant.* Similitérque *quondam* Hebræi, *iudices diuinitus diſpoſitos, ob corruptelam filiorũ* Samuelis, *continuò abiicientes, regem petierunt & acceperunt magis incommodum & noxium.* Sic *uulgò dicitur, equo ephippia renuenti,* Deo *uolẽte, clitellas imponi: eum quem temerè tædet ſuæ, quanuis parum commodæ ſortis, de malo in peius ruere. & ita canit* Hetruſcus,

Per bene ſtar ſi ſcende molte miglia.

Prouerb. 39.

DE LETHEO FONTE POtauit. *Prouerbialis locutio eſt in obliuioſum, uel eum qui plura aut quicquam oblitus eſt. à nota fabula, qua aiunt apud inferos fluuium*

eſſe, nomine Lethen, Latinè *oblimonem,de quo bibens, præteritarum rerum obliuiſcitur. quòd utique morientes humana fragilitate, mortiſq; ipſius præcipuè cogitatione perturbatos plurium rerum capiat oblimo,ut nos quoque lege* Iuſtini *principis teſtatum habemus.* Ita *graui quopiam caſu, metu, aut morbo uexati,uel ſenio præpediti,quaſi morti proximi,ſæpe memoriam amiſerunt.* Alius *enim lapide ictus,oblitus dicitur literarum: alius poſt ægritudinem, quam pertulerat, haud nominis proprij meminiſſe.* Refertur *etiam inter recentiores,*Ioannes Suiſſerus, *cognomine* Calculator,*ualde ſenex fleuiſſe,quòd antè à ſe inuenta non caperet: tum* Georgius Trapezuntius*, itidem ſenior, literarum omniũ rudis effectus.quin prorſus mortui & inferno dediti, haud ſalubriter recordari poſſunt antè contempti* Dei: Q*uoniam non eſt in morte,qui memor ſit illius, & in inferno nulla eſt redẽptio, ut nobis ſacra canunt.* Porrò *hac ipſa prouerbiali locutione ſuggillauit* Iuſtinianum,*quaſi iuris immemorẽ.*Placentinus *in ſumma codicis illius,lib.2.tit.40. tum* Lactantius *lib.3. cap. 18. ita irridet* Pythagoram, *in priori uita* Euphorbũ *ſe fuiſſe mentitũ: ô mirã & ſingularem* Pythagoræ *memoriã. ô miſe-*

ram oblimonẽ noſtrum omniũ, qui neſciamus, quid antè fuerimus: ſed fortaſſe uel errore aliquo, uel gratiâ ſit effectũ, ut ille ſolus Letheũ gurgitẽ non attigerit, nec obliuionis aquam guſtauerit. Inſuper dicitur à Fran. Pico in hymno ad Chriſtũ, Cypria Venus numen fictum & emortuum, appuliſſe ad Lethen, quòd obliuioni mãdata ſint ſacra eius, perinde ſcilicet ac mortuus obliuioni datur. & certè nomen impiorũ in æternum deletur, ut Pſalmographus habet.

Prouerb. 40.

DENTIVM TENVS. *Hac prouerbiali locutione uulgo denotatur inſigne bonũ aut malum, cùm dicitur,* Probus, doctus, diues, felix: *aut prauus, rudis, inops, miſer, dentium tenus: & ſic de ſimilibus. quaſi dicatur plenus boni uel mali, & omnibus numeris abſolutus, & circundatus, & merſus, ut illi* Apocalypſeos, In ſanguine, *uſque ad frænos equorum.* quod ipſum exponere licet, ad os & dentes hominum ipſorum, quos ut equos & mulos ne fræno correptionis ullius ſatis coërcitos, ad extremum exundans demerſurus eſt ſanguis iræ Dei. nimirùm ſunt dentes ſummo loco, nempe in capite hominis, clauſuræ, ueluti

muri ac portæ concaui ac profundi corporis humani. frequentiùs hac locutione utuntur in deridiculum & uituperium eorum, qui parum ualent, & inutiles ſunt: interea tamen indignantur, & grauant, dentibus fremunt, & fruges conſumunt, ſupramodum elati & guloſi. quod genus hominum, alio etiam uulgi prouerbio canum macelli dictorum, uel ex eo apparet deterrimum, quòd prioris dæmonis refert ſuperbiam, & hominis ingluuiē, & ſuam adiungit nequitiam. qualis inter multos recenſitos ab AEliano fuit Eryſichton Myrmidonis filius eadem de cauſa aſinus nuncupatus. nimirùm quoque, aſini mandibula, prouerbio dicta, in edaces alioqui ignauos, teſte Io. Rauiſio in epithetis. denique etiam ita notatur uana cura eorum, qui plurimùm cùm laborent, & multa habeant, nihil ad effectùm perducunt, nulliſque fruuntur: quemadmodum canit Propertius,

Semper amantes, fructu ſemper amoris egentes.

Tum Horatius,

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Pocula. quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. Fabula ſanè huic loco aptiſſima, quam priùs & latiùs retulit Homerus Odiſſ. 11.

Prouerb. 41.

DE TRIBV LEVI. *Hæc prouerbialis locutio uulgo frequens, & memorata à noſtro* Rebuſo *in iuris* Gallicorum *ſacerdotiorũ commentariis, competens utique in inconſtantès, ludit amphibologia uocis, leui, & adludit ad cõditionem tribus* Leui *hominũ, quibus non erat certa, ut cæteris tribubus deputata poſſeſſio, ſed uaria decimarum portio. quanquam hoc ipſum fuit illis longè commodum, ita in miniſterio diuino peculiariter exiſtentibus, & cum domino ipſo magis omnia poſſidentibus. ſicut etiamnum multos optimos uiros uidemus, ita ſe componentes, quaſi totius orbis, & nullius urbis incolæ ſint, omniáque habeant, & nihil poſſideant, uirtutis & religionis catholicæ gratia. quos ità quidem etiam de tribu* Leui *dixeris, leues non dixeris.*

Prouerb. 42.

DE VMBRA ASINI DICIT. Prouerbialis *locutio, orta à ficta cauſa* Demoſthenis. *qui quidem, ut attentos faceret auditores, interſeruit fabulam locatoris & conductoris aſini, contendentium cuiuſnam eſſet*

uſus umbræ illius. Competit *in futilis & ridiculæ rei narratorem: qualis tamen attentiores habere ſolet auditores, quàm grauis & ſeriæ cuiuſcunque rei prædicator. quamobrem idem* Demoſthenes *in* Philippica *de pace ait,* Si *non de reipublicæ ſalute, ſed de aſini, ut dicitur, umbra, dicendum fuiſſet, non ingrato animo ſe fuiſſe auditum.*

Prouerb. 43.

DEVS OMNIA FACIT. Hoc *prouerbialiter. uulgo dicitur, non ſecùs quàm ille prouerbialis dictus paraphraſti* Heſiodi *uerſiculus,*

ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε.

quibus ſignificatur, diuinis bonitate & potentia uirtutibus omnia agi & perfici, non tantùm bona, uerùm etiam mala, ſcilicet dicta pœnæ, non itidem culpæ, quæ tantùm permittuntur relictis ſuo arbitrio mortalibus, ne iuſtè queri poſſint puniri ob ſcælera, quæ à Deo *eſſe dicant. quod & nedum catholici hæreſum expugnatores, ſed poeta quoque initio* Odiſſeæ *per* Iouẽ *ſuum ſic docet:*

ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ

σφῆσιν ἀπάλαμνα λίηνσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.
Cæterùm ita monemur, bene quidem agentes, ſi bona ſuſcipimus, agendas gratias Deo *: ſi mala ſuſtinemus, ſperanda meliora : tum malè agentes, corrigendos nos ipſos, & timendam uindictam diuinam, etiam ſi alioquin omnia tuta appareant. quandoquidem, ut commodè* Heſiodus *ait eo in loco, ex quo dependet prædictus uerſiculus, etiam opportuniſſimo nauigationi tempore, mare ingreſſus, nauem frãges & perderis, ſi* Deus *uoluerit.* Et *ut uerè dicitur,* Si *deus pro nobis, quis contra nos? ſcilicet nullus qui ualeat ſuperare.* Ita *quoque illud,* Si *deus contra nos, quis erit pro nobis? ſcilicet nullus qui poſſit tueri nos, quiue adſit nobis aduerſus illum. quemadmodum canit & ille:*

Che contra'l ciel non val difeſa humana.

nimirúmque armatur omnis creatura in Crea*toris contemptores : clauduntur cæli, & luget terra : herba omnis regionis ſiccatur, propter malitiam habitantium in ea, quam ipſa etiam exhorrent elementa, ut ſacra nobis & profana teſtificatur ſcriptura.*

Prouerb. 44.

DIOSCVRI SALVATO-
res & aduocati ſalutiferi. Hoc *cõmuni proverbio uulgatum eſſe ſcribit* AElianus *uariæ hiſtoriæ lib.1.de ipſis*, Caſtore *&* Polluce *geminis* Iouis *filiis. qui quidem crediti ſunt periclitantibus in mari, tanquam dij, quibus inſunt commiſerationes ærumnoſorum, aduenire auxiliaturi, & ſeruaturi eoſdem non ſceleſtos, ſed ſanctæ iuſtæque uitæ homines.* Proinde *ne ulli iniuſtè agere libeat, néue unà cum periuris nauiget, ab iiſdem, ut ab uno* Deo *edicitur apud* Euripidem. Q*uod uerè propriũ eſt* Dei, *&* Chriſti, Dei *& hominis, ſolius natura filij* Dei, *& ſaluatoris & aduocati ſalutiferi, per oblationem corporis proprij, in redemptionem totius mundi.* T*um hoc competit angelis & ſanctis, qui precibus ſuis, & ope de diuina bonitatẽ manante, adiutant miſeros mortales.* Idem *conueniet diuitibus & potentibus, liberalitate & magnificentia ſua benignitatem diuinam imitantibus. qualis* Galetes *ille* Ptolemæi *regis deliciæ: qui cùm plurimùm apud ipſum regem poſſet, nulli unquam nocuit, at multis profuit. húcque reſpexit illud,* Homo *homini deus.*

Et illud,

ὡς χαρίεν ἔς' ἄνθρωπος ἀνθρώποις.

Prouerb. 45.

DIVIDE FICOS. *Ironica locutio, prouerbialiter uſurpata, in malignitatem uel ſordem illius, qui cùm debeat uniuerſi cuiuſpiam partem accipere aut dare, ſingula diuidi uelit, quæ tamen commodiùs omnino integra relinquere liceat, ſecundum quod & habent ueteres iuriſconſulti, & docent interpretes, Digeſtorum lib.12.tractatu, ſi certum petatur, cap.13. & lib.30. tracta. de legatis, primo, cap.26. & 27. tum alibi. Eadem notabis eius ruditatem, qui cùm de re controuerſa inter plures, ſingulos eam integram tanquam ſuam ſibi uēdicantes, cuiuſnam ſit decernere habeat, haud ſolicitiùs ius diſquirens, uel cauſas perpendens, quibus unius tantùm uideri poſſit, & iuſtum ei adiudicari totam, omnibus diuidendam pronunciat. Quod minimè ſanè prudentis uiri, ſed anicula potius iudiciū arbitratur Phraotes Indus rex, apud Philoſtratum de uita Apollonij lib.2. & uulgarem ruſticorum opinionem legibus contrariam dicit Scholiaſtes Digeſtorum lib.3. tracta. de negotiis geſtis, cap.36.*

Prouerb. 46.

DOLIVM PERFORATVM.
Hoc ueteri prouerbio dicitur, perinde ac, aquã haurire colo (quod ſcilicet quoque liquori peruium eſt) & in doliũ pertuſum: cùm quis fruſtrà laborem inſumit, & quæ magno conatu acquirit, facilè perdit. unde notatur inutilis & ridicula quærentium modò ſedulitas: proindéque admonemur partorum conſeruandorum curæ, quò aliquando tandem in tempore iis uti poſſimus, ut probè docet Ariſtoteles, ac Xenophon in œconomicis. nimirúmque habet Salomon inter prouerbia, Qui ſeruat ficum, comedet fructus eius: & qui cuſtos eſt domini, glorificabitur. hoc uerò etiam infamantur, qui nihil quãuis ſecretum apud ſe continere poſſunt. quale & uulgo iactatur mulierum ingenium ac ſeruorum, ipſum & uas pertuſum Petrarchæ dictum. Sicque notabis eos, qui uel debilitate memoriæ, uel contemptu prauo monitorum ſanorum tenaces non ſunt. quibus dicta, per unam aurem ingredi, altera egredi, dicuntur alio uulgari prouerbio. Et cõuenienter habet ſacer filius Syrach, Cor fatui quaſi uas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. uerbum ſapiens

quodcunque audierit luxurioſus, ægreferet, & proiiciet illud poſt tergum ſuum.

Prouerb. 47.

DOMI HABET VNDE DIſcat. *Hoc Afri comici uerbum, prouerbialiter frequentatum, teſtificatur* Sidonius Apollinaris, *in oratione habita de eligendo* Simplicio Bituricẽſi Metropolitano, *relata lib.7.epiſt.ad* Perpetuum, *ſic quidem de illo habens,* Si *ambigitur quo magiſtro rudimentis fidei fuerit imbutus, ut prouerbialiter loquar, domi habuit unde diſceret. ac ita dicitur uulgari prouerbio,* Egregiũ *domi magiſtrum habet, de eo qui ſua uel ſuorum & domeſticorum prudentia ſatis inſtruitur, nec opus habet ut ab alienis & extraneis doceatur.*

Prouerb.48.

DVLCIS CVBITVS. Phædrus *apud* Platonem, *dicens potentes in republica uiros uereri ſcripta relinquere, ne ſophiſtæ fuiſſe uideantur, reprehenditur à* Socrate, *diente illum ignorare, quòd ſit dulcis cubitus à longo* Nili *cubitu dictus: tum eundem ignorare, præſtantem quemque ciuem ſummopere la-*

borare, ut ſcripta linquat poſteritati, quibus æternùm celebretur. Ita hoc prouerbialiter dictum opinor, à longo Nili ambitu, quo clauditur, ut inſula, inferior AEgypti pars, triquetra, & cubitali figura, ſpecie aſpera & rigida, ſed ipſo Nilo dulci mitis & amœna. ídque de eo, quod ſpecie quidem eſt amarum, aſperum, rigidum: re uerò dulce, mite, remiſſum. Et in ſimulatores, recuſantes quicquam aliquo prætextu tanquam indignum & ingratum, quod re uera præclarum ſit, & ipſi minimè adipiſci queant, etſi maximè aueant. Atque in amatores honorum & uoluptatum, in quibus ſit periculum dedecoris & doloris, aut iam certum fel melli admiſtum, ut fermè omnibus humanis euenit. quorum auribus dulcis, amara animæ adulatio. idcirco coaceruant ſibi magiſtros palpantes, quos & uulgus prouerbialiter ait, Doctores de placebo domino. & attentior ad fabulas factus, quin illis plus fidei tribuit, quàm ueritati quiſque, quemadmodum Pindarus ait,

ψεῦδος γλυκὺ μεθέπων ἄϊδρις ἀνήρ.

Prouerb. 49.

DVM IVVENIS ES. *Vulgi uox eſt, iuuenem adhortantis, iam olim prouerbia-*

liter frequentata, ad malum reprobata, ad boni quodque probatiſſima. ut apud Diuum Ephræm Syrũ, *ſermone de timore* Dei, Ambroſio Camaldulenſi Latino *interprete : ſed ſubrepit tibi ſæpius antiquus hoſtis, & dicit:* Interim *dum iuuenis es, fruere concupiſcentiis tuis, &c.* Tum *apud* Fabium *Quintilianum ſeniorem, in declamatione 260. pro adoleſcente diuite, abdicatos libidinis & luxuriæ cauſa à patribus, humanè & liberaliter recæptante, ac de ſuo alente, ob id reipublicæ læſæ reo facto: non multis in his cauſis, in hac criminum cauſa, miſereatur hominum, qui dicunt,* Dum *iuuenis es? nimirùm eſt natura iuuenum alacrior & uiuacior, atque ideo ad uoluptates & omnem humanitatẽ propenſior, ad percipienda quæque facilior, perceptorum tenacior, & denique uirib⁹ ualidior, ut conſilio debilior, propter ſcilicet nondum tẽpore & experientia ratam prudentiam.* Vnde *& uulgi prouerbium habet,* Si *iuuenis ſciret & ſenex poſſet. quaſi ſubiungit, mortalium conditio felicior eſſet.* Ad *quod adludit* Homerus Iliados *4. ubi* Neſtor *ſenex optat ſe eſſe, qualis erat iuuenis, cùm* Erenthalionẽ *interfecit: ſed & conſolatur ſe, quòd uel conſilio & uerbis ualeat, adhortando iuniores, quorum in haſtis ui-*

brandis præualet potẽtia. ſicque Plato epiſtola 3. ad Dionyſium, Illius potentis equidẽ tyranni extremã iniquitatẽ in Dionem admiſſam artificioſiſſimè notãs dicit, κολοφῶνα νεανικώτατον, hoc eſt actum ſuffragiũ, finem longè iuniorem & ualidiſſimum. Quin è re & merito Theocriti Thyonicis ait; ποιεῖν τι δεῖ, ἅς γόνυ χλωρόν. cui ſubiungas illud uulgi quoque prouerbium, Qui non laborat equulus, annoſus laborat equus. nec diſſimilis ſententiæ illud eſt, quod & adagij ſpeciem habere adnotat Paraphraſtes Heſiodi,

οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς.

ſiquidem his omnibus denique admonemur captandæ opportunitatis, & habendæ prouidẽtiæ in omnibus optimæ: ut (quemadmodum ſcripſit etiam Apoſtolus) ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθόν.

Prouerb. 50.

EQVVS MALE PABVLAtus, malè uadit. Vulgi prouerbium eſt, innuens dominis curæ eſſe debere, ut benè nutriantur animantia, ſiue beſtiæ, ſiue homines, quorum opera utuntur. quandoquidem, ut Chriſtus apud Matthæum cap. 10. inquit, Di-

gnus eſt operarius cibo ſuo. nec poteſt animal, cibo & potu præcipuè indigens, ieiunus, aut nimìs refectus, diutiùs, uel ſtrenuè laborare. Proinde *iure ſoluuntur præcepto ieiuniorum, ſacris legibus indictorum, operarij & uiatores, uti à* Theologis *catholicis traditum eſt*. Nec *ab re in ſacris libris* Regũ *mulier phitoniſſa* Sauli *profecturo dicit,* Ponam *coram te bucellam panis, ut comedens cõualeſcas, & poſſis iter agere.* Porrò Florianus *interpres* Digeſt. *lib.* 10. *tractatu familiæ herciſcundæ, cap.*20. *haud illepidè trahit hoc ad uirum, qui opus habens reddere debitum (quod dicitur) uxori, inops ab ea diuite ſat ali debet. in quo propiùs illud* Comici *prouerbiale quoque citaueris,* Sine Cerere & Baccho *friget* Venus.

Prouerb. 51.

ESTO SORS TVA CVM *homine bono.* Sentẽtia *eſt* Ben Syræ Hebræi Hieremiæ *prophetæ nepotis, uulgo prouerbialiter uſitata. ut cùm probo negotiatori, uel peregrinaturo, uel aliàs cum ignotis acturo, uel ita benè precamur: tantum ſit tibi res cum probis. quaſi omnia tuta ſint cum probis, nihil tutum cum improbis: & ſola ſocietas bonorum*

proſit, ut malorum noceat. Quod & ſæpe eueniſſe uidemus, & legimus, & plurium utique ſuadetur doctrina prudẽtum. proinde quoque rectè ſe habet, Si Deo uero dirigatur precatio Tyanei, relata à Philoſtrato uitæ illius lib. 1. qua petit à ſole, ut miſſus eo loci, quo profuturus ſit, uiros bonos agnoſcat, prauos non agnoſcat, neque agnoſcatur ab eis.

Prouerb. 52.

EX PARVA FLAMMA MInimè *ingens lux prodit.* Prouerbiale *hoc, quod* Etruſco *ſermone poëta ſic habet:*

Di poca fiamma gran luce non vene.

ſignificat exiguo & obſcuro facto haud magnum imputari meritum, ſed & ipſum exiguum parari præmiũ, gloriam, famam, exemplum. Sic *olim imperatores, ob leuia prælia, quibus uel quinque milia hoſtium una acie non cecidiſſet, aut amiſſis tot antea ciuibus cecidiſſet, aut omnino recuperatum imperium, non etiam auctum fuiſſet, minimè triũphabant, ut* Romanorum *annalibus &. hiſtoria uaria continetur. ſic uariis locis ſcripſit* Cicero, *neminem ſapientiæ laudem & eloquentiæ, quæ & ipſa nihil aliud eſt, quàm copioſè loquens ſapientia,*

& decoris hominis, ingenij uidelicet ipſius lumen, ſine ſummo ſtudio & labore & doctrina conſequi poſſe. ſic non niſi & animas dantibus, quibus nihil maius habent mortales, pro lege ſacroſanctã ſeruãda, manet gloria magna & nomen æternum, ut Matathias *docebat filios ſuos, illos religionis undiqꝫ clariſſimos.* De*mum, nec niſi pœnis ingentibus prauos ab impietate magnopere deterrebis. quæ uel maximè maleficium eſt, cuius ſupplicium exacerbetur, quoties nimiùm multis graſſantibus exemplo opus ſit, ut noſter* Claudius *ait. quod de innumeris noſtri temporis hæreticis, & fautoribus eorum percommodè accipies. quibus exiguus delinquendi metus eſt, pœnæ ſcilicet paruitate & raritate. cùm uix milleſimus quiſque poſtulatorum damnetur, aut meritum ignem ſentiat, niſi & aliâs ſit deploratæ & abiectiſſimæ ſortis, præſertim pecuniarum uerſutiarúmque ope deſtitutus. unde maiorem talium flãmam deſiderantes, qua maior lux prodeat, quæ tenebras expellat, dolentes ſæpe dicimus,*
Di poca fiamma gran luce non vene.

Prouerb. 53.

FAC DE NECESSITATE *uirtutem.* Prouerbialis uox eſt, qua utitur B. Hieronymus in epiſtola ad Furiam, ipſam uiduam factũ recenti obitu uiri adhortans, ut quod ante nuptias non cœperat, iam caſu uiri & neceſſitate quadam uiduitatis adacta, amplectatur, & teneat propoſitum maioris caſtitatis. ſic Homerus Iliados lib. 19. Agamemnonem & Achillem dira contentione ſibi etiam pernicioſos, tandem ſeipſos ad mutuam concordiam adhortantes facit,

θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλον δαμάσαντες ἀνάγκῃ.

Huc accedit aliud, quod uulgo quoque prouerbialiter dicitur, Neceſſitas anum currere facit. nec ab re Qu. Curtius lib. 5. opinari ſe dicit, ignauiam quoque neceſſitate acui, & ſæpe deſperationem ſpei cauſam eſſe.

Prouerb. 54.

FAMEM PELLERE SATIVS *eſt, quàm purpura indui.* Vulgi prouerbium eſt, iactatum in eos, qui plus ſtudent ornatui, quàm uictui: & dum imprudentiùs ſuperflua curant, non ſufficiunt neceſſariis, ut Macedo-

nes milites cum Alexandro mundum deuaſtantes: qui cùm ad maritimã Indum perueniſſent, & conſumptis alimentis radices quoque palmarum deficerent, iumenta haberent autem prætioſis onuſta ſarcinis, tandem & ipſa cædere aggreſſi, ne equis quidem abſtinuerunt. & cùm deeſſent quæ ſarcinas ueherent, ſpolia de hoſtibus, propter quæ ultima orientis peragrauerãt, cremarũt incendio, ut retulit Q. Curtius lib. 9.

Prouerb. 55.

FAMEM PESTILENTIA *ſequitur.* Vulgò *hoc dicitur, & obſeruatur cõtingere ſæpe, quemadmodum eueniſſe Macedonibus perhibet Curtius nuper citato loco, ita ſubiungens:* Famem *deinde peſtilentia ſecuta eſt. quippe inſalubrium ciborum noui ſucci, adhæc itineris labor & ægritudo animi uulgauerant morbos, & nec manere ſine clade, nec progredi poterant. iſtud dixeris, quoties à malo malum oritur: de quo & illud, Abyſſus abyſſum inuocat. Et illud,* Vnum *inconueniens aliud ſequitur.*

Prouerb. 56.

FAMES, PRAETER SEIPſam, *edulcat omnia.* Hoc *dici ſolet, & refert*

enarrator Heſiodi, *ubi is uocat epitheto proprio,* λιμὸν ἀτερπῆ, *ſeu,* ἀτερπὸν, *hoc eſt ipſam famem iniucundam & moleſtam. quæ tamen iucundum & gratum reddit quantumuis alioquin aſperum & inuiſum cibum: uſqueadeò etiam, ut parentes aliquoties coctis liberorum carnes non horruerint. unde & illud primum manauit prouerbium,* Condimentum *omnium eſt fames.* Tum *illud de famelico uulgo loquentium,* Ille ederet tibias ſancti Petri. Et *illud,* Coctum *ederet diabolum.*

Prouerb. 57.

FAVORES CONVENIT *ampliari.* Canon *eſt tam ſacri, quàm profani iuris, quo ſeriò dicimus lata interpretatione extendenda eſſe fauorabilia conſtituta. quæ imprimis iuſta & æqua eſſe debent, ut talia ſint. quandoquidem ibi fauor ualere debet, ubi iuſtũ & æquum obtinet. nimirúmque, ut adagium uulgare habet,* Bonum ius bono auxilio opus habet. *Inſuper hoc* εἰρωνικῶς *dicimus, notantes ampliorem, quàm deceat, uel peruerſum fauorem, qualis fuit dæmonum aſſeclarum luciferi. quippe qui inuidentes meliori, imò ſoli bono creatori, malo & mendaci ſathanæ adhæſerũt.*

cuius inuidiæ nunc uſque uſitatum eſt prouerbium, Ob derogationem melioris ſemper fauere peiori, ut docuit Rupertus de uictoria uerbi Dei lib. 1. cap. 14.

Prouerb. 58.

FELIX EST QVI NON LItigat. *Huius uulgaris prouerbij lõgè ſingularis & ſaluberrima eſt doctrina. qua quippe monemur, ut ab eccleſiaſtico ſacro filio Syrach, cap. 28. Abſtinendum à lite, ut minuamus peccata, & quamuis felicitatem adipiſcamur, & retineamus: quæ maximè lite perit, impeditur, & fugatur. ſiquidem imprimis dæmon, praua cõtentione & prælio facto in cœlo, ſummam illam & ueram felicitatem, in qua erat, perdidit. & huius imitatores mortales, infelicitatis eiuſdem fiunt participes, dum non ſeruata charitate & pace præcepta, cœlo excluſi, mittũtur in ignem deputatum Sathanæ & angelis eius: aut aliâs læſa per litem concordia, quoquomodo delinquentes, & aduerſarium habẽtes, exponunt ſe periculo & multiplici malo. nanque ut Auſonius in monoſyllabis canit,*

Vexat amicitias, & fœdera diſſociat lis.

tum eadem tranquillum animi ſtatum pertur-

bat, & nunquam quieſcere hominem ſinit. unde & curia dicta eſt à cura, teſtibus Varrone *ac* Nonio: *cura autem utique, quaſi cor edà, quæ coquit & uerſat ſub pectore fixa, ut habēt uerſus* Ennÿ *citati à* Cicerone, *initio libri de ſenectute.* Porrò, *lis facultates exhaurit, patrimonia dèſtruit, & mortem inuehit, ut reſpondit noſtrorum interpretum celeberrimus* Bartolus *conſilio* 101. *nimirùm pauper litigans nihil agit: diues, ſi quicquam agit, multum etiam expendit, plurimis plurima dando forenſibus doniuoris, ut docet* Heſiodus *in primo operum & dierum uolumine.* Cui *concordat illud* Hebræorum *relatum ab* Elia Leuite *in* Thiſbite, Cui *non eſt pecunia, non ſtet in foro. nonnunquam uerò etiam litigans uel de minima re curarum & laborum impatiens, uel de cauſa deſperans, uel uictam dolens, uel uictrias ſubita & inſperata lætitia oppreſſus, aut denique inſidiis aduerſarÿ petitus, occîdit. quorum omnium exempla compertiſſima ſunt.* Et *hûc facit* Homerus Iliad. *lib.* 4. *dicens contentionem inſatiabiliter furentem,* Martis *homicidæ ſororem, ſociámque, initio paruam attolli, & litem magnam fieri, augentem ſuſpirium uirorum.* Tum *lib.* 18. *optās contentionē & irā ex omni-*

bus perdi, quæ uirorum in pectoribus augetur, uelut fumus, tandem ſcilicet errumpens in flammam omnia conſumentem, & planè adferentem quod præferebatur excidium. Eodem quoque pertinet quod habet ille filius Syrach, Certamen feſtinatum incendit ignem, & lis feſtinás effundit ſanguinem, & lingua teſtificans adducet mortem. Ex quo & illud poſtmodũ ſubiungit, Mors illius, mors nequiſſima: & utilis potiùs infernus, quàm illa. Atque è re laudatur ab Æliano uariæ hiſtoriæ lib. 9. dixiſſe Themiſtocles, Si quis ſibi duas uias monſtraret, quarum una ad infernum, altera ad tribunal tenderet, electurum utique, & multò libentiùs ingreſſurum ſe illam, quæ ad infernum, quàm quæ ad tribunal duceret. proindéque omnino laudandus, ac ſcilicet imitandus ille qui dixit, Cum iis qui oderant pacem, eram pacificus. Equidem iniuriam accipere, & fraudem pati præſtat, quàm iudicio contendere, ut alius monuit. ueriſſimè dictum, ſatis lucrari, qui à lite recedit. optimè præceptum eſt, ſtudendum epiſcopis, ut diſſidẽtes fratres ſiue clericos, ſiue laicos ad pacem magis, quàm ad iudicium cohortentur. Tum quicunque odio aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem reuocari

diuturna obſtinatione nequiuerint, à ſacerdotibus ciuitatis prīmitùs arguantur. qui ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de eccleſiæ cœtu iuſtiſſima excommunicatione pellantur. Tales enim etſi occiſi in confeſſione nominis chriſtiani fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Ad regnum cœlorū nullo modo poteſt peruenire diſcordia, nec ad præmia Chriſti, *qui dixit,* Hoc *eſt mandatum meum, ut diligatis inuicem, quemadmodum dilexi uos.*

Prouerb. 59.

FERIS FERVS, HVMILI*bus humilis eſto.* Hoc *eſt, quod* Comicus *ait,* Par *pari referto.* Et *planè alter,* Bonus *bonis, malus malis. tum* Lyricus, Mollis *bonis, aſper moleſtis. ita hoc docet id, ad quod unuſquiſque per ſe fertur, ſcilicet ut ſit ſuperbis auſterus: ut manus omnium legitur fuiſſe contra ferum omnibus* Iſmaëlem*:tum ut ſit placidis mãſuetus, benignis beneficus, qualem ſe* Iudæis *eſſe ſcribit* Demetrius *rex* Laſtheni *parēti ſuo, ut & refertur in ſacris. ídque, niſi quis ſit admodum peruerſa natura, cuiuſmodi naturæ homines dicuntur uulgo* Villani, *altero prouerbio ita habente,* Punge *uillanum, unget te: unge uillanum,*

pungit te. Verùm iſtud ſemper recta cum ratione admitte, omni ſynceritate, honeſtate, & charitate condito, ſecundum illud Hebræi ſapientis, Ne reſpōdeas ſtulto, ſecundum ſtultitiam ſuā, ne fortè & tu illi ſimilis fias. Reſpōde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne fortè ſibi ipſi uideatur ſapiens. Et illud Apoſtoli, Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed econtrario benedicentes.

Prouerb. 60.

FERRVM EDIT. De eo dicitur, *qui prævalidis uiribus & induſtria, ſanguine & ſudore ſuo quiduis, quantumuis durum ac forte, mollit & ſuperat: ut ferrum duritiei & fortitudinis ſymbolū, domat & comminuit omnia: atque ipſum magnes flectit, ad ſe trahit & tenet, ac ſanguis humanus rubigine quaſi edit, deterit, & conſumit. quæ uel ex Daniele, Pliniòque didiceris. Adludit etiam quod Oſeæ cap. 7. legitur, Alienos comedíſſe robur Ephraim. nec minùs eleganter idem dixeris de iuuēte mortali. ut ſi quis quærat, uiuátne aliquis: reſpondetur, edit adhuc. quandoquidem uiuens huiuſmodi,*

quòd uiuit poteſt, ut uiuat opus habet edere. tum uiuens moritur, & licet creſcat, decreſcit, dum conſumptioni humanæ appropinquat, & ſeu laboret, ſeu torpeat, ſeipſum conficit. ut hyeme Polypus *proprios depaſcitur artus: ac ferrũ ipſum uel exercitum intertrimento, uel otioſum rubigine ſenſim deficit. Quæ quidem uetus eſt ſimilitudo* Catonis *relata ab* A. Gellio *lib.* 11. *ca.* 2.

Prouerb. 61.

FIGVLARIAM IN IPSO *uaſe diſcere aggreditur. Prouerbium eſt, quod & hoc modo dicitur,* Figularíam *in dolio experitur. Verumque habet* Plato: *primum in* Gorgia, *alterum in* Lachete, *ita planè ſignificans notari ſtultitiam & temeritatem eorum, qui docere, uel diſcentes agere quicquam ſeriò & publicè audent, nullis anteà priuatim tentatis uel iactis præludiis. quam quidem audaciam uix ullum conſequitur bonum, ſi non (quod* Papinius *ait) caſus agit uirtutis opus. quod & nonnunquam euenit. unde idipſum prouerbio uulgari dicitur, ac in eum ſenſum illud,* Audaces *fortuna iuuat. Atque illud omnino,*

ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον, ἢ καλῶς φρονεῖ.

Prouerb. 62.

FIGVLVS OLLIS ANSAS pro uoluntate ponit. Græcum prouerbium eſt, memoratum à Fran. Philelpho epiſtolarum lib. 12. indicat unumquemque ſuæ rei moderatorē eſſe ac arbitrum: ſícque ſuo iure utentem minimè facere alteri iniuriam, id quod legibus expreſſiſſimè cautum eſt. nec abludūt Hieremias & Paulus diuinitus oſtendētes, ut figulus quod uult, è luto facit: ita deum ipſum utique uerum & abſolutum omnium dominum, hominibus facere quod ſibi placuerit, ſine iniuria cuiuſpiam.

Prouerb. 63.

FILIVS GALLINAE ALbæ. Prouerbialis irriſio, uulgo frequēs in eum, quem uel generis nobilitate, uel propria dignitate elatum, & licentioſiùs agentem, magiſtratus degeneres contingere non audent: quíque ſeipſum adeò delicatum, & diuis charum cenſet, ut nihil non ſit ex humanis à ſe alienum, uel quòd gallinæ albæ, atque adeò pulli ex ipſis nati in deliciis ſint: uel quòd Pythagoras iuſſerit abſtinere cùm ab omnibus animalibus, tum ab alba gallina, ut retulit AElianus uariæ

hiſtoriæ lib. 4. uel quòd gallina alba laurum detulerit, ex quo lauretum factum eſt, unde triumphaturi Cæſares laureas deſumpſerunt: tum ex ea magna pullorum ſoboles prouenit, unde & locus ad gallinas albas dictus, teſte Tranquillo in Sergio Galba. & eius memoria agitur in rhapſodia Gratiani 12. q. 2. cap. ult. Sanè ſit uel harum aliqua, uel alia cauſa, ex qua id dictum ſit, iam olim prouerbialiter ita uſurpatum conſtat apud Iuuenalem Satyra decimatertia dicentem:

Te nunc delicias, extra communia cenſes
Ponendum: quia tu gallinæ filius albæ.

Prouerb. 64.

FLVVIATILES. AVES.

Prouerbialis locutio uidetur eſſe in nimiùm ruſticãtes, & aquarum delectatione captos, quales fuêre Tarſenſes: quorum ciuitatem præterlabitur Cydnus. iuxta quem ij multo tempore conſidentes, quietæ aquæ pulchritudine uelut ebrij facti, tanquam fluuiatiles aues ociabantur, ut quadam ad eos epiſtola ſcripſit Apollonius Tyanæus, & retulit Philoſtratus. quin hoc Arabum eſt præcipuum oblectamentum, deliciari ſemper in hortis & aquis, atque ex-

pectatum legis Muhamedicæ ultimum & maximum lucrum, paradiſus amœna riuis, ut ſæpe inculcat in Alcorano nequam autor eius.

Prouerb. 65.

FORVM BAIVLI VICAni. *Prouerbiale hoc eſt in contemptum, ſuggillationem, & notam iudicij cuiuſque inepti, incompoſiti, & ridiculi. quale eſſe ſolet præfecti uicani, quem baiulum uocant: quaſi iſta omnia ferat, oneris pluſquàm honoris habeat, particeps ſit ineptiarum, confuſionis & deridiculi, ut ruſticanus, magis, quàm aptitudinis, ordinis, & uenerationis: quæ tamen utique omnino non ſolùm urbanam & ciuilem honeſtatem, uerùm ipſum iudicium, ſi iudicium ſit, condecent. quandoquidem non ſolùm rerum humanarũ anguſtiſſima, grauiſſima, & digniſſima pars eſt, uerùm idem inprimis diuinum eſt, Dei maieſtatem, autoritatem, poteſtatem proximè refert. unde ab ipſo Deo magiſtratus dij dicũtur: & à Quintiliano ſeniore, forum, templũ pacis: in quo uidelicet iura, concordiæ ſtudentia, exercentur: propter quod leges ualent, & ipſæ per ora principum diuinitus promulgatæ, ut Ioannes octauus, eius nominis*

pontifex maximus ſcripſiſſe legitur in rhapſodia Gratiani.

Prouerb. 66.

FRANCISCANVS SVM. *Ad hunc modum uulgi prouerbium frequentatur, quo quis ſuam paupertatem, uel ſe nummos non habere, aut ſecum ferre ingenuè profitetur, tanquam ſit è diui* Franciſci *familia, fratrum minorum dicta. quos conſtat non ſolùm à receptione, proprietate, dominio, ſiue uſu pecuniæ, uerùm etiam à contrectatione qualibet ipſius, & ab ea pecunia penitùs alienos, ut expreſſum eſt in conſtitutione* Nicolai *quarti pontificis maximi, cui initium eſt,* Exiit *qui ſeminat. nec diſſimiliter dictũ in* Vtopia Mori, *à paraſito, qui nihil mendicis daret, quòd non liberet dare, aut ne liceret quidem: quoniam nihil haberet quod daret, mendicos tacitos prætermittere ipſum, ne quicquam magis ab eo ſperantes, quàm ſi eſſet ſacerdos.*

Prouerb. 67.

FVNDVM ALIENVM ARAT. De *eo dicitur, & notatur ſtupiditas illius, qui ſui oblitus, perperam ſtudet commodis alie-*

nis, & quaſi ſeruit libidini alienæ. qualis eſt frequentiori regum & potentum familiaritate utens: quorũ conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarum naturæ bene comparat, quæ ſicut paululum à ſe remota illuminant, ita ſatis admota ſibi comburunt, ut Sidonius *ſcripſit. ita ueterum ſapiẽtum* Hebræorum *doctrina habet, ne nimium familiaris fias magiſtratui: útque caueas ab iis qui ſunt cõſtituti in poteſtate, quippe qui haud ſibi adiũgunt hominem, niſi cogat aliqua neceſſitas. tum quidem ſe exhibent tanquam amicos, ìdque propter commodum ſuum: nequaquam uerò adſunt homini tempore, quo premit illum neceſſitas. húcque pertinet illud* Nicolai Papæ*, ac uulgaris prouerbij,* Fax *accenſa ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis uerò lumen in tenebris adminiſtrat, & unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet. ſicque facit illud filij* Syrach, Quid *communicabit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, confringetur. in quo & fabella extat* Aniani *nomine inſcripta de duabus ollis, altera lutea, altera ærea: indicans periculoſam & uitandam eſſe communionem cuique cum potentiori.*

Prouerb. 68.

GLADIATOR IN ARENA *capit conſilium.* *Prouerbium eſt memoratum à Seneca in epiſtolis. Significat unumquemque in ipſo agendarum rerum loco, & articulo, & actione ipſa plurium ad ipſum quod agit pertinentium admoneri, quæ antè non uiderat. Adludit apud T. Liuium qui ait, Multa quæ nunc ex interuallo non apparent, bellum aperiet. tum uulgare illud, Negotium ipſum ſe inſtruit.*

Prouerb. 69.

GLADIVM PVER NE TE*neat. Vulgi præceptum eſt prouerbialiter frequentatum, quo ſalubriter admonemur minimè committenda infirmis & inexercitatis periculoſa & grauia: ut regnum, ſeu iudicandi poteſtatem, ſeu conſulendi autoritatem iuuenibus. de quibus inter alia, inſigne eſt illud ex Biblicis depromptum, licet uulgare adagium, Conſilium iuuenum fecit Roboam egenum. Hûc etiam ſpectat quod & uulgo iactatum ſcribit Elias Leuita Hebræus in Thiſbite, Gladius in manu ſtulti periculum eſt. ſicque illud quod plerun-*

que dicitur, *Eloquentia in ore improbi, gladius eſt in manu furioſi.*

Prouerb. 70.

GRATIA PVLCHRITVdine melior. *Hoc uulgari prouerbio comitas præ formoſitate laudatur, & longè amabilis denotatur, ut modus & ratio eſt in omnibus optima. ſiquidem quantauis hominis pulchritudo, ſine geſtu prudenti, & concinna loquela, ac morum ſuauitate, tanquàm carnis caſſæ mente & ſtatuæ decor eſt, imò minor ſtatuæ decore, in qua nihil amplius requiritur: atque ideo is parum gratus utplurimum, uel efficax eſt: diciturque talium decor dormiens, & ipſi fruſta carnis, & imagines. At deformitatem gratia obnubilat, & plurimum commendant prudentes feſtiuique mores quantumuis deformem corpore hominem.*

Prouerb. 71.

HERBAM DO. *Prouerbialis uox eſt cedentis aliquam, uictum ſe aut uincendũ, deteriorem & inferiorem illo profitentis, ut docẽt Plinius, Seruius, Feſtus, Marcellus. ſiquidem herbam dans, omne terrenũ dare uidetur, quòd*

per illam ſignificatur, tum quòd terræ hæreat, quæ data eſt filiis hominum, ut habet Pſalmi-*ſta: tum quòd ipſa data ſit in eſcam omnium animalium, ut ſacra* Geneſis *docet: & cuius cauſa meum & non meum*, de diuerſis hu-*iuſmodi ſcilicet, ut* Plato *ſcripſit, à mortalibus dictum eſt, & certamen ſæpe motum: quemad-modum cecinit* Lucanus,

-certamen mouiſtis opes:

probè utique ſubiiciens, -pars uiliſſima rerũ. Et *ita ſapiens filius* Syrach, Non *zeles gloriam & opes. unde hoc adagium quoque tanquàm totius modèſtiæ ſymbolum acceperis.*

Prouerb. 72.

HIC EST ALTER HER-*cules.* De *longè robuſtis uiris, eſt prouerbia-lis uulgo nunc, & iam olim doctis uſitata locu-tio, orta ab exclamatione* Milonis Crotoniatæ: *qui cùm* Titormum *bubulcũ uideret ingentem lapidem in humeros ſuſtuliſſe, & per octo or-gyas tuliſſe, quem uix ipſe moueret: tum illum in medio grege maximum feriſſimúmque tau-rum pede prehendiſſe, & mox alterum pro-piùs accedẽtem ſimiliter attraxiſſe, ſícque am-bos inuitos tenuiſſe, manibus ad cælum ſubla-*

tis inquit, O Iuppiter, num hunc Herculem nobis alterum genuiſti? autor AElianus uariæ hiſtoriæ lib.12. Simile illud Hebræorum quod habet Moſes cap. 10. quaſi Nemrod robuſtus uenator coram domino.

Prouerb. 73.

HOMINES SVMVS. *Sapienter admodũ memoria repetentes & confitentes imbecillitatem ſuam mortales, etiamnum hoc prouerbialiter dicunt, quod dixit Plinius in proœmio naturalis hiſtoriæ, his ipſis uerbis, Nec dubitamus multa eſſe, quæ & nos præterierint. Homines enim ſumus, & occupati officiis, &c. cui adludit Auſonius in gryphum ternarij Numerij, ad Symmachum ſcribens: Alius enim alio plura inuenire poteſt, nemo omnia. nimirúmque Philippus Macedo, ne belli quidẽ proſperrima fortuna inſolentior factus, recordabatur imprimis ſe eſſe hominem, habebátque puerum, qui antequàm prodiret, uel conueniretur, mane ſingulis diebus, hoc ei ter inclamaret, Philippe, homo es. Tum Simonides, iuſſus à Pauſania quicquam ex ſapientiæ præceptis narrare, dixit, Memento te hominem eſſe. ídque licet tum contempſerit ille, demum tamen cala-*

mitoſus ter magna uoce exclamans, ingenuè faſſus eſt, magni momẽti eſſe, ut retulit AEļia*nus in hiſtoria uaria. ſicque ſacer filius* Sy*rach habet, Quid ſuperbis terra & cinis? memento quoniam omnes in corruptione ſumus: omnia quæ de terra ſunt, in terram conuertentur.* Et *in eccleſia catholica, initio quadrageſimæ, ieiunio & pœnitentiæ ſcelerum deſtinatæ, capiti cinerem imponens ſacerdos, nobis ait,* Memento *homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.*

Prouerb. 74.

HOMO HYPOCRITA. Pro*uerbialis uox eſt, ex ſacris orta, qua notatur quiſquis praua ſimulatione* Dei *honori, aut ſuæ uel alterius utilitati detrahit, ut docet* Diuus Thomas Aquinas *in ſumma theologica, altera parte alterius partis, quæſtione 37. eáque ad mendacium pertinet, de quo dicitur,* Omnis *homo mendax.* Tum *illud,* Nemo *ſine peccato.* Sanè Eſaias Iudæis *exprobrat, quòd unuſquiſque eorum eſt hypocrita.* Eoſdem *deinceps* Chri*ſtus frequentiſſimè uocat hypocritas, & adiicit nonnunquam, triſtes, ob malè conſcium pectus, ac ipſam facie tenus expreſſam ſeueritatem: ſic-*

que inuehitur Iuuenalis Satyra 2,

Frōti nulla fides. quis enim non uicus abundat
Triſtibus obſcœnis?

Et planè ſcribit aduerſus Pelagianos Hieronymus, quanuis aliis utiis carere poſſimus, hypocriſeos maculam habere non poſſe, aut paucorū eſt, aut nullorum. ait & Qu. Curtius lib. 5. humanis ingeniis paratū eſſe ſimulationem. hincque dicit Iſobæus Hebræus, Caueas mi fili à fucatis: nam oſculum eorum eſt ueluti oſculum ſuperfluum. tum Chriſtus ipſe, Cauete ab hominibus: ut intelligamus hominē homini eſſe uulpem, nedum lupum, utique plurima homini ex homine naſci mala, eo magis timenda, quo minus remota & aperta ſunt.

Prouerb. 75.

IN CORYDI NIDO INæquale *abſconſum eſt gramen. Scribit Conſtantinus Pogonatus in præceptionibus agriculturæ lib. 15. cap. 1. gramen herbam utique internodiis inæqualem & implanam poni à corydo, hoc eſt, galerita aue in nido ſuo: ex eóque prouerbium eſſe id, quod profert his uerbis,*
ἐν κορύδου κοίτᾳ σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις:
ſignificare uidetur, unumquodque eo loci pu-

tandum eſſe, in quo uel uſu habetur. ut dictum illud, cuius meminit Ruellius *de natura ſtirpium lib. 3. cap. 85. in retibus allium. útque nunc dicimus, uerſus uiam ſemper uideri fores, in foro panem uendi, apud* Pharmacopolas *thus inueniri.*

Prouerb. 76.

INCVDEM EANDEM TVN *dēdo rem expedit.* Ammia. *lib. 28. ita ſcripſit,* Parte *alia uxor, ut prouerbium loquitur uetus, eandem incudem diu noctúque tundendo maritum teſtari compellit. ſignificat hoc, conando nihil non perfici, ideóque ſiquid conatum & cœptum ab alio impediatur, quod punibile fuerit, perinde habendum eſſe, ac ſi perfectum ſit. quod nedum ius* Romanum, *nobis uſui, habet, uerùm quoque* Vtopiæ *illius* Mori *inſulæ ſeu ueræ, ſeu fictæ, in hunc modum ſcribente illo,* Sollicitaſſe *ad ſtuprum, nihilominus quàm ſtupraſſe periculi eſt: in omni ſiquidem flagitio certum deſtinatúmque conatum æquant facto. neque enim id quod defuit ei, putant prodeſſe debere, per quem non ſtetit, quominus nihil defuerit. tum ita perhibet* Theocritus Eidyllio 15. *in* Troiam *tentãtes iuiſſe* Achiuos, *tẽtatione iam*

omnia perfici. Et *non paucis oſtendit* Fortius Rhingelbergius *in ratione ſtudij, laborem improbum omnia poſſe. nec ab re illud,* Guttæ *cauant lapidem. quod uulgo dicitur, & retulit* Paraphraſtes Heſiodi *in primo operum, & habẽt imprimis* Iob *cap.*14. Lucretius *lib.*4. Ouidius *de arte amandi lib.*1. Tibullus *lib.* 1. Elegia 4. *elegantiſſimis utique uerſibus, quos breuitatis cauſa non inſero, quibus & aſſiduitas multum ualere probatur, & multitudo ipſa. de qua nimirùm è multis percommodè dicta uidentur illa* Anticlaud. *lib.*1,

Nam *quòd nulla ualet per ſe, ſupplebit in unum*
Coniurata *manus. ut quæ non ſingula proſunt,*
Multa *iuuẽt collecta ſimul. nã plurimus amnem*
Riuulus *excreſcens gignit, ſcintilláque flammã*
Multa *parit, multiſque lapis cõcludit aceruum.*

Prouerb. 77.

INDVSTRIA ROBORE *præſtat.* Maniſeſtus *eſt ſenſus huius prouerbij, & inſigne exemplũ in ſacris libris* Regũ, *ubi narratur* Dauid *adoleſcens & inermis, ſingulari certamine uiciſſe* Goliath *ingentem & armatum bellatorem.* Ac *ſimile apud* Qu. Curtiũ *lib.*9. *narratur certamen, quo* Horratas Macedo

miles ferociſſimus & perfectè armatus, à Dioxipo Athenienſi pugile nudo ſuperatus eſt.

Prouerb. 78.

IN GENVA PROCVBVIT. Prouerbialiter hoc dicimus, ſignificantes quempiam grauiter lapſum animo, uel uiribus, uel facultatibus, uel quacũque felicitate & bono. ſiquidẽ genua feſſis labãt, & fatigatio maximè in his ſentitur, ut experimẽto cõſtat, & teſtatur Philippus enarrator Heſiodi, ubi is ait, famulis chara genua eſſe reficiẽda. unde & multis cor in genua decidere dicitur, & genua ſoluta Homero ac ſapiẽti filio Syrach dicũtur, tum eadem ad ſe inuicẽ collidi, Danieli, debilia & infirmata, Eſaiæ & Dauidi. Sic qui grauius ruit, procubuiſſe in os dicitur. Vtrũque docet AElianus uariæ hiſtoriæ lib.3. ſcribẽs Ariſtotelẽ patriam ſuam non in genua (quod dicitur) procidentem, ſed in os proſtratam erexiſſe atque reſtituiſſe. Dixeris item peſſimè ruiſſe, qui retrorſum corruit, ut Heli, de quo Regũ lib.1.ca.4.

Prouerb. 79.

IN MARI MAGNI PISCES capiuntur. Mare utique magnum & ſpa-

tioſum eſt. idémque magna (ut par eſt) animantia, homini commoda exhibet, magis quàm fluuius, quantumuis ingens, ſi mari comparetur exiguus. itaque mari magni comparantur, & iis quæ in eo ſunt. ſentitúrque hoc prouerbio, induſtrioſis magna commoda quærenda magnis & amplis urbibus & conuentibus.

Prouerb. 80.

INTELLIGVNT SE MVtuò *ut fures in nundinis.* Dicitur *de illis, qui diſſimulantes inuicem curare quicquam, uerè tamē in idem cōſpirant, & ſe mutuò inſtruunt. ut fures qui in nundinis ad compilandum conueniunt, quaſi ignoti ſibi inuicem diſcurrunt, interea tamen mente & ſignis conſentiunt, & ita communi opera quod poſſunt, efficiunt.*

Prouerb. 81.

INTEMPESTIVA BENEuolentia. *Etſi nunquam intempeſtiua, nunquā moleſta eſt, uera ſcilicet, nihil diſſonans, nihil peruerſum, nihil fictum habens amicitia, ut docet* Tullius: *eſt tamen & quædam claudicans adumbrato & peruerſo gradu nitens amicitia, & beneuolentia planè, importuna & inepta.*

qua quidem ſatagitur id quod magis odio dignum eſt. ut in literis, ſi doctiſſimo uiro aſſignetur, indignum aliquod ſyntagma. quales commẽtarios in Columellam attributos Pomponio Læto arguit, hoc ipſo prouerbio utens Baptiſta Pius in Sidonium lib. 5. epiſtola ad Aquilinum. Sic reprehendes inter multos ſimiles, σπουδαστὴν apoſtoli Pauli, illum qui huius & Teclæ περιόδους, & baptizati Leonis fabulã apocrypha, ſe Pauli amore confixiſſe perhibuit, teſte D. Hieronymo in uita Lucæ. quando & quantumuis in honorem Dei eſſe uideatur quodcunque mendaciũ, aduerſus Deum eſſe teſtatur ipſe Paulus, prioris epiſtolæ ad Corinthios, cap. 15. unde & cùm Petrus abhorreret Chriſti paſſionem, audiuit ab eo, Abi retro Sathana. Tum hoc notabis eum, qui ſuo uel alterius peruerſo amore ductus, ſuum uel alterius opus inelimatum publicat. quod de ſuo opere ab alio factum queritur Solinus initio ipſius Polyhiſtoros. atque huc pertinet quod in Codice Iuſtiniani lib. 11. tractatu 10. lege Iuſtini ſancitur, nulli licere aliquid ex auro & gemmis, quod ad cultum & ornatum imperatorium pertinet, facere, neque illud ſub hoc colore & prætextu præparare, quod uelit clementiæ principali uelut aliquod munus of-

ferre. quandoquidē pietas principalis eiuſmodi dona non expetit, neque regum ſibi offerri à priuatis cultum requirit. Hincque Plateanus in*terpres exprimit,* Si *ruſticus uetitus ſit aucupari coturnices aut perdices, tamen uenetur cauſa dādi principi, eū nihilominus teneri pœna non parētibus indicta. nec ab re eſt illud* Regū *lib.*1. *cap.*15, Melior *eſt obediētia, quàm uictimæ. tum illud uulgare,* Stultus *dū placere putat, diſplicet.*

Prouerb. 82.

IN VITVLA ALTERIVS *arauit.* De eo *dicitur, qui alterius ingenio & rebus, quaſi ſuis, fraudulenter ſibi fructum & decus parauit. quod ignauorum eſt & illiberalium hominum, & ſæpe parum durans, continuóque ignominioſum, & nocuum fraude detecta bonum.* Siquidem *incommutabilis eſt iuſtitiæ, ſua cuique aſſignare: & quicunque dicit aliquid nomine eius, qui prius dixit, nec dolo eius nomen ſubticet, ut ſibi inuētum tribuat, & quaſi ſuum haberi uelit, adducit redemptionem in mundum, hoc eſt bonum opus facit, & boni cauſa eſt, modeſtiæ & benignitatis exemplum præbens omnibus. iuxta id quod ſcilicet in ſacris bibliis habetur,* Nuntiauit Eſther *regi*

ex nomine Mardochæi, qui ad ſe rem detulerat, ut tradunt Hebræi. Itaque quemadmodum huiuſmodi ſunt laudandi, ſic contrà qui uel aliorũ ſcripta furantes pro ſuis prædicant, uituperandi ſunt: quíque non propriis cogitationibus nituntur ſcriptorum, ſed inuidis moribus aliena uiolantes gloriantur, nõn modò ſunt reprehendendi, ſed etiam quia impio more uixerunt, pœna condemnandi, ut præclarè ſcriptum eſt à M. Victruuio, etiam memorabile ſubiiciente uindicati facinoris exemplum. Ptolemæus enim rex, Alexandriæ ingente librorum multitudine comparata, & ludis literariis inſtitutis, & præmiis uictoribus cõſtitutis, aliquando in poëtarũ certamine doctus ab Ariſtophane ultimo iudice, unum tantùm ex iis poëtam, alios à cæteris probatos aliena recitauiſſe, cum his furti agi iuſſit, condemnatóſque cum ignominia dimiſit. nimirùm & noſtri uel occultatorẽ alienæ laudis furi parem eſſe pronuntiant. nec ſecus cenſet Plinius in hoc ſcribens, Obnoxij profectò animi & infelicis ingenij eſſe, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præſertim ſors fiat ex uſura. hûc & illud notiſſimum ſpectat Virgilij,

Hos ego uerſiculos feci, tulit alter honores,

& planiſſimè Samſonis illud, quod habetur ſacro libro Iudicum cap. 14. ſi non araſſetis in uitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam.

Prouerb. 83.

IRASCIMINI, ET NOlite peccare. *Dauidis & Pauli ſententia eſt dudum prouerbialiter frequentata. unde cùm Diuus Thomas Canthuarienſis archiepiſcopus, ab Henrico rege improbè commoto Anglia exactus in Galliam conceſſiſſet, & duos comites ſuos miſiſſet ad Ludouicum regem, is tota re cognita dixit Henricum recordari debuiſſe peruulgatam ſentẽtiam, Iraſcimini, & nolite peccare. quod retulit nuper apologia in Molinæum edita Rufus noſter. ita docemur ira, quam Deus nobis naturâ indidit, benè ut cæteris in uniuerſum utendum, eatenus illi indulgendum, quatenus non peccatur, ſed magis peccato obſiſtitur: ad quod non ſolùm cohibenda non eſt, uerùm etiam ſi iacet, excitanda eſt: quia malum cui non reſiſtitur, approbatur, nec bonus eſt qui ne in malos quidem eſt acerbus, minores ſcilicet, eos qui ſunt in eius poteſtate, quos non maiori cum malo coërcere poteſt. cæterùm aliter ira uti pernicioſum & impium eſt. Deus iraſci*

quidem, ſed tamen non peccare præcepit: & licet non euellat iram radicitus, eam utique temperauit, ut in omni caſtigatione modum ac iuſtitiam teneamus, ut appoſitiſſimè docuit Firmianus.

Prouerb. 84.

LAPIS À CANE MORSVS. *Prouerbio ſic dicitur, quicquid ad iracundiam, furorem, inſaniam, diſcordiam & rixam prouocat, bilioſum, furioſum, moroſum & rixoſum hominem reddit, ut uel ipſe lapis à cane morſus contactu ſuo. Siquidem eſt canis natura calidus & ſiccus. unde accedente æſtatis caliditate & ſiccitate, ampliori rabie corripitur. cibum auerſatur, & ſiticuloſus eſt, nec tamen bibit. ore hiat, & linguam exerit, ac ſaliuam largam & ſpumoſam profundit. Cuius tanta uis eſt, ut quomodocunque corpus humanum contigerit, rabiem inducat. quin ulceri facto, & non planè ueneno illo uacuo, cataplaſmate ex nucibus regiis leuiſſimè tritis confecto, primùm impoſito, deinde dempto, gallus aut gallina, ſi comederit, occiditur, teſte AEtio. ſícque Plinius, Tanta uis mali eſt, ut urina quoque calcata rabioſi canis noceat, maximè ulcus ha-*

bentibus. minùs hoc miretur, qui cogitet, lapidem à cane morſum uſque in prouerbium diſcordiæ ueniſſe. Dixeris *ſimiliter,* Pomum *aureum:*ex eo *ſciliæt, quo magna & conſequens orta cantatur diſcordia & contentio, cui inſcriptum erat, ut* Lucianus *habet,* ἡ καλὴ λαβέτω.

Prouerb. 85.

LATEREM LAVAT. De *eo dicitur qui fruſtrà quicquam agit, & dum melius habere ſatagit, deterius reddit.* Siquidem *later ſimpliciter dictus, nihil aliud eſt, quàm lutum ſole ſiccatum, turbidum & ſubnigrum. quod ſi laues, non magis albeſcet, ſed luteſcet, ac denique in cœnum reſoluetur, ut probè docet* Petrus Nannius *miſcellaneorum lib.2.* Et *certè* Theocritus θολερὰν πλινθὸν *habet, hoc eſt ad uerbum, turbidum laterem. ſicque* Eobanus *interpres eius in hoc, uerſus integros reddidit:*

Sed labor eſt, idem numero comprendere uelle,
Quot uento rapidi ueniant ad littora fluctus,
Aut laterem liquido lutulentum fonte lauare.

Prouerb. 86.

LEMNIVM MALVM. *Hoc ueteri prouerbio utimur, dolentes & deteſtantes quodpiam magnum & miſerandum malum, ac rariſſimum ſcelus. quale fuit Lemniadum mulierum, quæ uiros ſuos grauiter olentes occiderunt: aut ipſorum Lemniorum uirorum, qui uxores Atticas & liberos ſuos ex eis ſuſceptos, mores Atticos referentes, unà peremerunt, ut autor eſt Herodotus, & adnotat Baptiſta Pius in Sidonium epithàlamio Dicti & Hiberiæ. ídque ſubnotauit Oroſius lib. 1. cap. 12. inter ſimilia dicens, Taceo flagitia Lemniadũ.*

Prouerb. 87.

LONGVM HOC, VT PASſio. *Hoc uulgari prouerbio intelligimus Chriſti paſſionis hiſtoriam: eóque ſignificamus nos faſtidire cuiuſpiam narrationis prolixitatem. tametſi utique nullo modo faſtidienda eſt ipſa dominica paſſio, eiúſue recitatio: perinde ac contrà ad furum inopinatam graſſationem, aduentus iudicij diuini fit comparatio. Intelligi quoque id poteſt de quauis uel breuiſſima paſſione, quæ, quia diſplicet & uexat, prolixa*

uidetur. ſicque interpretum quidam prouerbialiter dixerunt, prolixam quanque diſquiſitionem prolixiorem, paragrapho, Callimachus, parte ſcilicet eius initij, quæ eſt capitis 122. tracta. de uerborum obligatio. Digeſt. lib. 45. Sic item uulgo prouerbialiter dicitur cunctabundus quiſque & ſeu uerbis ſeu factis prolixior, capitello fili, hoc eſt ſphærula, quæ filo conſtat, ſi ſcilicet explicetur, longior.

Prouerb. 88.

LOQVELA TVA MANIfeſtum te facit. Prouerbiale hoc, primum dictum eſt Petro occultare conanti ſe eſſe Chriſti diſcipulum. ſignificat magnam uim omnino eſſe ſermonis: quippe quo qualis ſit homo, maximè innoteſcit: ac ipſe animus qualis ſit, uerba teſtantur. qui licet per ſe occultiſſimus ſit, & item loquēdo diſſimulari poſſit, aliquandiu tamen duntaxat id fiet, & aliquando tandem ipſis uerbis prodetur. ut & uerum ſit ſacrum illud, uulgare quoque prouerbium, Ex uerbis tuis iuſtificaberis, & condemnaberis. hoc eſt, pro iuſto uel iniquo iudicaberis, ut habet Sebaſt. Munſterus in ipſum Matthæi euangelium Hebraicum, cap. 12.

Prouerb. 89.

LOQVERIS EQVO INSIdens. Hoc uulgari prouerbio exprobratur ignauo audacia inepta, qua uideri uult magnanimus, fortis & patiens, ipſe in tuto, & liber & cõpos omnium exiſtens, iis, qui in periculo ſunt, inopia & miſeria magna premuntur: non ſecus quàm qui equo uehitur, ipſius adminiculo fretus, facilè contemnit, uel admonet fortitudinis alium, pedeſtri labore fatigatum. quemadmodum Comicus habet, Facilè omnes cùm ualemus, recta conſilia ægrotis damus.

Prouerb. 90.

LVCTVOSVM SAXVM. Prouerbium hoc commemorat Baptiſta Pius in quoddam propenticon Sidonij, ortum à petra in qua ſedit Ceres, quæſitam nec inuentam deplorans filiam, à Plutone raptam, quemadmodum cecinit Ouidius Faſtorum lib. 4,

Hîc primum ſedit gelido mœſtiſſima ſaxo.
Illud Cecropidæ nunc quoque triſte uocant.

Cõpetit in rem triſtitudine afficientem: in moroſum & iniucundum hominem, nunquam nõ mœſtum & tetricum uultum habentem. quam

deuitantes, ut ſcopulum in mari, cæteri mortales uulgo dicere ſolent, ens quoddam triſte, & nunquam ridens, uti hoc ipſum totum ſignificātiùs habet Græcè prouerbiū, ἀγέλαςος πέτρα.

Prouerb. 91.

MALEDICTVM STVdium, *propter quod prætermittitur officium diuinum.* Prouerbialis *eſt optima maiorum imprimis* D. Bernardi *ſententia, admonens nos imprimus uenerandæ religionis, & ſeruandorum eccleſiæ catholicæ præceptorum: quorum eſt omnino uel miſſam diebus feſtis audire, cætera uerò religionis opera etiam non prætermittere, niſi fortè quis alio haud uulgari literarum ad pietatem tendente, uel aliâs pio & pluribus profuturo ſtudio occupetur. Ita fuit & prouerbium antiquorum,* Scholaſtici *qui obſeruant feſta, parum diſcent codicem, minúſque digeſta, ut referunt interpretes* Digeſt. *lib.* 2. *tractatu, de feriis, cap.* 9. Húcque *facit quod* Fran. Picus *in uita patrui ſcripſit, magnum illum moribus & literis, ſtudioſiſſimúmque* Picum, *exterioris latriæ cultus non multum diligentem fuiſſe, ſed tamen illum præ oculis geſtaſſe, quem obſeruandū præcipit eccleſia.*

Prouerb. 92.

MARIS ARENA RES GRAuior. *Prouerbialiter hoc uulgo dicitur, ut apud* Iob *cap.* 6. *de re grauiſſimi ponderis. quoniam utique ponderoſiſſima eſt ipſa arena, unde & grauiter arena cæditur. & cædere arena dicitur, quiſquis alium uehementer torquet & fatigat. dicitur uerò etiam graue quiduis, plumbo ponderoſius. híncque* Exodi *cap.* 15, Submerſi *ſunt quaſi plumbum.*

Prouerb. 93.

MARIS ARENIS RES ignotior. *Dicitur à* Platone *in* Theæteto, *de re imperceptibili & innumerabili, præ multitudine nimia: ſicque in ſacra* Apocalypſi *cap.*20. *legimus,* Q*uorum numerus eſt ſicut arena maris.* T*um in epiſtola* Pauli *ad* Hebræos, *cap.* 11, Tanquam *ſidera cœli in multitudinem, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris innumerabilis.* Atque Oſeæ *cap.* 1, Numerus *filiorum* Iſraël *quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & nõ numerabitur.*

Prouerb. 94.

MENDACIA SIBI COHAERERE *non poſſunt.* Hoc *uulgò dici ſcribit* Chriſtophorus Longolius *in altera ſua defenſione. ſic de hæreſibus quidam agens ſcribit, uniformem rem eſſe ueritatem, mendacium autem in uaria diſtrahi.* Sic *mentitam iniquitatem ſibi, habemus* Pſalmo 26. *& non eſſe conuenientia teſtimonia falſitatis, docemur* Danielis *cap.* 13. *&* Marci 14. Nec *diſſimule illud eſt, quod & uulgo dici, & uerũ eſſe teſtatur* Quintilianus *lib.* 4. *cap.*2, Mendacem *memorem eſſe oportere.ita idem quoque ualde compoſitus,attentus, & planè memor ſit oportet, ne ſeipſum prodat, qui mentitur: & ſcilicet non mentiri præſtat omnino quantum malo bonum.*

Prouerb. 95.

MENSA INSTRVCTA VENIT. Hoc *uulgari prouerbio exprobratur impudentia & inſolentia, uel congratulatur felicitati eius, qui nullo inſumpto labore, ſeu ſumptu facto in re quapiam, illius fructu parato uſurus eſt.* Dicetur *quoq; haud inconcinnè de eo, qui oblatam uel paratam tollendæ contentioni*

anſam & opportunitatem recepit uel reperit: quandoquidem menſa parata contentio tollitur, ut eſt ſententia Ben Syræ Hebræi Hieremiæ prophetæ nepotis.

Prouerb. 96.

MENSVRA CONTRA MENſuram. Vetus prouerbium Hebræorum eſt, teſte Munſtero in libello, quem ad intelligenda Rabbinorum commentaria grammaticæ Chaldaicæ addidit, quo & Chriſtus uſus eſt, ut ſæpe habetur in euangelio dicens, In qua menſura menſi fueritis, remetietur uobis. hocque eſt quod dicitur Deuteronomij cap. 25, Iuxta menſuram peccati, erit & plagarum modus. Tum Eſaiæ 27, Nunquid iuxta plagam percutientis ſe, percuſſit eum? aut ſicut interfecit, ſic occiſus eſt? in menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabit eam. Matth. 26, Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Apocalyp. 13, Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem uadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Imppp. Valentinianus Theodoſ. & Archad. Neoterico p. p. homicida & parricida, quod fecit ſemper expectet. ſic & ad menſuram uirtutis præmium erit: & qui bene aget,

bonum inueniet, ut uulgo dicitur. quemadmodum etiam inter Salomonis prouerbia legitur, Peccatores perſequetur malum, & iuſtis retribuentur bona.

Prouerb. 97.

MITTE TEMPLVM, VBI eſt. *Patrium prouerbium eſt, tractum à quibuſdam ruſticis, proximæ regionis, quæ ſaltus dicitur, incolis, adeò ſtolidis, ut templum extra uicum longiùs ſitum laneo fune ad ſe trahere tentarent. qui tandem ſe ludere operam uidẽtes, dimittamus templum ubi eſt, inquiunt. unde hoc uſurpatur in eum, qui fruſtrà uel inutiliter & noxiè quicquam loco mouere & mutare conatur. Etenim omnis mutatio periculoſa eſt, &, niſi euidentem habeat utilitatem, uitanda, cauendáq; omnino in ſacris diuino nutu ordinatis. De quibus etiam percommodè expreſſeris illam Hebræorum ſententiã, de benedictionibus & orationibus, quas ſapientes ordinauerunt, ab iiſdem intellectam: Non mutet homo monetam, quam impreſſerunt ſapientes.*

Prouerb. 98.

MONTES CADITE SVPER nos. *Hoc dicunt prouerbialiter quicúque ſumma premuntur anguſtia, ex ſacris uel* Lucæ *euangelij cap. 23. ut adnotat* Scoliaſtes Alcorani Muhamedici *azoara* 88.*ubi ſimiliter habetur,* Et *incredulus optabit, ut tellus efficiatur .ſícque* Maro,

Sed *mihi uel tellus optem, prius ima dehiſcat.* Etiamnúmque *uulgus queritans & indolẽs ait,* Vtinam *operiret me terra.*

Prouerb. 99.

MONTES TRANSFERT. Prouerbialiter *hoc de eo dicitur, qui diuina quapiam & ſingulari uirtute ac poteſtate præditus eſt, & longè maxima agit, & aliis impoſſibilia perficit. quemadmodum ille qui montem loco moueret, & alio tranſferret. quod fidei diuinæ tribuitur, ubi in euangelio* Chriſtus *dixiſſe legitur,* Si *habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis mõti huic,* Tranſfer *te hinc, & fiet.* Et Paulus, Si *habuero omnem fidem, ita ut montes tranſferam. quod tamen haud unquam effectum adnotat* Sebaſtianus Mũſte-

rus in Hebræum *euangelium* Matthei *cap.* 17. *nec facturum antichriſtum, etſi mali quoque faciant miracula, & uidebitur illuſis id ille facere, ſcribit* Diuus Ephræm Syrus. At *idipſum impleri poſſe ab homine fide prædito exprimit* B. Hieronymus *in* Hilarione: *quin impletum à* D. *Gregorio ponti epiſcopo, teſtatur* Eucherius Lugdunenſis *præſul ad* Valerianum *cognatum ſuum epiſtola parænetica*. Et *ſimiliter docet* Paulus Venetus *lib.* 1. *de oriẽtalibus regionibus, cap.* 18. *nec diſſimili prouerbiali locutione dicitur quis potens opere & ſermone.*

Prouerb. 100.

MVLIER RIDIBVNDA *ſui copiam facere ſolet.* Hoc *uulgari prouerbio notatur nimius, aut frequens, & facilis mulieris riſus, ut leuitatis & impudicitiæ comes & proditor. ad quod pertinet ipſum* Veneris *epitheton, quo dicitur ab* Homero Iliados *lib.* 5. φιλομμειδὴς ἀφροδίτη: *tum illud* Ouidij Faſtorum *lib.* 2, Lachrymæ *decuêre pudicam.*

Prouerb. 101.

MVLTA CADVNT INTER *calycem, ſupremáque labra.* Prouerbialis *uerſus*

eſt apud Græcos, teſte Apollinari apud Gellium lib.13. cap. 16. Manauit, ut docet Heraclides in politiis, ab Ancæo, qui, ut inquiunt, expectato dudum uini hauſtu ex uite, quam ſeuerat, & iam proximo licet poculum eius plenum manu tenens potitus non eſt. Cùm interea nuntiatum aprũ uaſtare uineã, perſequi inſtituens, poculũ depoſuerit, atque inſequens aprũ, perierit. Nec diſſimile exemplũ eſt, quod retulit Philoſtratus de uita Apollonij lib. 4, Accubante enim in conuiuio Nerone, decidẽs fulgur, calycem, quẽ manu tenebat, & ori propiùs admouerat, excuſſit. quod & dictum eſt ænigmate Tyanei, magnum aliquid & non magnum. Hûc uerò etiam accedit illud Ben Syræ Hebræi, Sponſa aſcendit in thalamum, neque nouit quid euenturum eſſet ſibi. quibus admonemur omnia humana tenui filo pendere, ne quicquam unquam ſatis certum & firmum, quod non Deus iugiter adiuuerit.

Prouerb. 102.

MVLTI SACERDOTES, & pauci ſacerdotes. Hoc eſt, multi in nomine, & pauci in opere, ut habet D. Chryſoſtomus in rhapſodia Gratiani 40. diſt. quod prouerbialiter dicitur, & ad cuiuſque ordinis homines re-

fertur: cùm re uera in omni genere uitæ pauci exiſtant, qui ſint quod dicuntur, & uideri uolunt. præclarè Iuſtinianus in nouell. de referendariis: τὸ γὰρ κατ' ἀριθμὸν πλῆθος οὐδὲν ἂν ἔχοι σεμνὸν, ἐπειδήπερ ἐν ὀλίγοις ἐκ πολλῶν ὁ κατ' ἀρετὴν σώζεται βίος.

Prouerb. 103.

NEMO VNQVAM BENEfactori bouem immolauit præter Pariam. *Prouerbium eſt, teſte Heraclide in politiis, ortum à Paria, qui cùm ſenem quendam captiuum à latronibus redemiſſet, & ab eo repentè ditatus eſſet, eidem bouem immolauit. Competet in eum, qui de ſe benè meritum inuſitato incompetente & nimio honore adficit: ut qui homini non dico iam diuo facto, ſed adhuc mortali & peccatori diuinos honores tribuit. cuiuſmodi ſunt multi etiãnum alumni, ſtipendiarij, & beneficiarij principum cum poëta dicentes,*

Deus nobis hæc otia fecit.

Prouerb. 104.

NEOPTOLEMEA VLTIO. *Prouerbio dicitur hoc, cùm quis pati uidetur, cùm minimè putaret, ſimile ei quod fecit aliis.*

ut quondam Neoptolemus, qui Priamum Troianum regem occiderat: poſtea domum rediens, ſimiliter occiſus eſt, ut retulit Thomæus uariæ hiſtoriæ lib. 1. cap. 55. Vulgus idem prouerbialiter dicit uindictam diuinam, iuxta illud,

-ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Prouerb. 105.

NE SPECTES CVI GRATIficeris, ſed cui ingratũ facias. Hoc uulgari ſenũ prouerbio admonemur haud curioſiùs ſcrutãdos quibus mites & benefici ſimus, ſed quibus immites & noxij. omnibus, quãtũ fieri poteſt, gratificandũ, nemini ingratum faciendũ. præſtare malè merito benè facere, quàm benè meritum malè tractare. præſtare item nemini gratificari, quàm gratificando alicui alterum lædere, ne quoque in nos tandem faba cudatur, quod altero prouerbio dicitur, quo commodiſſimè utitur Demoſthenes philippica de pace.

Prouerb. 106.

NIHIL CVM FIDIBVS graculo, nihil cum amaracino ſui. Prouerbium eſt, autoribus Gellio ad finem noctium Atticarũ, & Alexandro Neapolitano genialium dierum

lib.5.cap.15. uſurpatum, cùm aliqua ita ſunt diſſociata, ut non facilè conuentura putentur: aut omnino ita diſconuenientia ſunt, perinde ac graculus obſtrepera & tempeſtuoſa auis cū ſonoris ac placidis fidibus, uel ſus lutulentus & putidus cum nitido & odorifero amaraci unguento nihil commune habent. Competit utique in rudes, obtuſos, ſordidos, prauos, qui doctis, acutis, elegantibus & probis, quaſi tales ipſi quoque ſint, ſociari uolunt, & in locum eorum cooptari. nec abre dicit Apoſtolus 2. ad Corinth. 6, Nullam eſſe conuentionem Chriſto cum Belial. tum imperatores lege, quæ eſt in codice Iuſtiniani, tit. de ſpectaculis, nequaquam licere in loco honeſto inhoneſtas adnotare perſonas.

Prouerb. 107.

NIHIL, NE CANEM VEL *catum reliquit. Vulgus hoc prouerbialiter dicit de eo qui cuiuſquam omnia diripuit uel uaſtauit & perdidit, per catum nimirū felem intelligens, per canem exponens, quod ſimiliter in ſacris bibliorum hiſtoriis exprimitur, Mingentem ad parietem.*

Prouerb. 108.

NIHIL SINE LABORE. Vulgare prouerbium eſt, planè doxns, quod experimur omnes paſſim, & ſacræ profanǽque literæ ſæpenumero teſtantur, nihil citra puluerem & ſudorem mortalibus comparari: laborem ante omnia poſitum à Deo, ipſo etiam quantumuis aliâs agnito & laudato, ne quicquam dante otioſis hominibus, ut inter alios perpulchrè Euripides habet,

ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα,
βίον δύναιτ᾽ ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου.

Prouerb. 109.

NOCTVAS ATHENAS portat. Græcorum prouerbium eſt, quo utitur Lucianus in præfatione libri de moribus philoſophi ad Nigrium, ridiculum illum notans, qui aliquò quicquam defert, ubi plurima ſunt eiuſmodi, uel alteri quicquam mittit & donat, qui talibus abundat: perinde ac qui noctuas Athenas ferret, ubi plurimæ ſunt noctuæ. ſimilitérque dicit Henricus Cornelius in quadam epiſtola, Non minoris ſtultitiæ, impietatis autem maximè eſſe dæmonem inferno addere,

Prouerb. 110.

NON EST ABBAS PRVdentior, quàm qui monachus fuit. Hoc uulgari prouerbio admonemur eius, quod in omni gubernatione ut optimè habeat imprimis præcipitur, ut ſcilicet unuſquiſque ad munera & honores gradatim aſcendat, ac nemo ut præſit & imperet conſtituatur, qui ſubiici & parere non didicerit. nanque benè imperaturum ſubiici aiunt oportere primùm, ut habet Ariſtoteles Politicorum lib. 7. cap. 14.

Prouerb. 111.

NON EST BONVM quod non ſit malum, & malum quod non ſit bonum. Vulgare prouerbium eſt, cuius prima pars reſpicit illum Mimum Publij, Bona nemini hora eſt, ut non alicui ſit mala. Poſtrema pars reſpicit illud Apoſtoli, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Prouerb. 112.

NON EST CORAM FRANciſcanis Latinè loquendum. Vulgare prouerbium eſt in eorum temerariam & periculoſam

loſam oſtentationem, qui nulla neceſſitate coacti, & rudiores licet, aliquid agere adfectant, uel de re parum ſibi nota loqui audent, uel eo ſermone utuntur qui illis parum eſt notus coram peritiſſimis, à quibus redargui poſſunt. quales habiti ſunt, nempe uulgo Latini ſermonis ſcientiſſimi Diui Franciſci familiæ religioſi, quòd frequentiori literarum ſtudio dediti uiderentur. etſi re uera iidem ut eiuſmodi primùm, nihil ſtuduerunt eloquentiæ, ut ſcientiæ facerent ſatis.

Prouerb. 113.

NON EST FORI TVI. *Prouerbio utitur Elias Leuita Hebræus tractatu inſcripto, Capitulum ſpecierum, in decima ſpecie nominum. Competit in eum, qui extra rem, profeſſionem & munus ſuum aliquid agere tentat: perinde ac magiſtratus, iudex uel arbiter, qui de re non ſuæ iuriſdictionis uel notionis cognoſcere uult & iudicare. quod & dicitur iniicere falcem in meſſem alienam.*

Prouerb. 114

NON EST FRVSTVM LIgni, *uel lapideus, uel mulier. Vulgus hac pro-*

uerbiali locutione ſignificat hominem haud contemptibilem, minimè bardum & ſuperatu facilem. ſicque dicit Hector *de* Achille *Græcorum fortiſſimo apud* Homerum *Iliad. 22,*

οὐ μέν πως νῦν ἔστιν ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρης
τῷ ὀαριζέμεναι ἅ τε παρθένος ἠΐθεός τε,
παρθένος ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιιν.

Prouerb. 115.

NON EST TAM BONVS, *qui non cæſpitet equus.* Vulgare *prouerbium eſt, nos admonens fragilitatis humanæ, atque ideo commiſerationis eorum, quantum æquum & bonum eſt, quos pœnitet peccaſſe. ſic commodiſſimè ſcripſit* Cœlius Lactantius *diuinarum inſtitutionum lib. 6. cap. 24. nemo enim poteſt eſſe tam prudens, tam circunſpectus, ut non aliquando labatur. & iccirco* Deus *imbecillitatem noſtram ſciens, pro ſua pietate aperuit homini portum ſalutis, ut huic neceſſitati, cui fragilitas noſtra ſubiecta eſt, medicina pœnitentiæ ſubueniret.*

Prouerb. 116.

NON EST TRITICVM *ſine purgamentis.* Vulgare *prouerbium eſt, ſi-*

gnificans non eſſe quicquam adeò commodum, quod non & aliquam ſecum trahat incommoditatem, nec eſſe hominem omni carentem uitio. quemadmodum ille ait, Nemo *ſine crimine uiuit. ſicque* Archytæ *philoſophi dictum habet apud* Aelianũ *lib.*10.Vt *licet ſummoperè cures, piſcem tamen ſine ſpinis non inuenies: ita nec hominem repereris, cui non ſpinoſum ac doloſum quidpiam ſit admixtum.*

Prouerb. 117.

NON GLORIETVR QVISpiam *ante uictoriam partam.* Hoc eſt, quod di*citur in ſacris libris* Regum, Non glorietur *accingens ſe, ut diſcinctus.* Et *ita alibi,* Ante *mortẽ ne laudes hominum quenquam. ſiquidem uita hominis eſt militia ſuper terram. & qui ad mortem perſeuerauerit, & uicerit, coronabitur.*

Prouerb. 118.

NON OMNIS MARTINVS *eſt ſanctus.* Vulgare *prouerbium dicit* Lucas Pennenſis, *interpres* Iuſtinianei Codicis *lib.* 11. *tit. de agricolis & cenſitis, lege cui initium eſt,* Litibus. *ſignificat nomini parum fidendum, nec ideo quenquam bonum putandum omnino,*

quòd nomen optimi uiri gerat. nomen utique, ut locum minimè hominem ſanctificare, ſed ab ipſo potius homine ſanctificari. ita non qui maior fuerit in honore inter homines, illum eſſe iuſtiorem, ſed qui fuerit iuſtior, illum maiorem eſſe. unde & illud prouerbiale pariter exprimitur, Non *omnis ſacerdos ſanctus.*

Prouerb. 119.

NON OMNIS QVI MORItur, *eſt* Ioannes *euangeliſta.* Prouerbij *meminit* Baldus *interpres clientelarij iuris, tractatu, de pace conſtantiæ, docens eo ſignificari non oportere credi uerbis hominis, qui etiam ſacræ ſynaxis particeps, dum moritur illa, tãquam uera protulit. non enim omnem eiuſmodi hominem, uerum dicere, ut* D. Ioannes *in euangelio. quod etiam ita in prouerbium uenit,* Verum *hoc, ut* Ioannis *euangelium. quod tamen inſolenter à pleriſque uſurpatur de profanis & incertis.*

Prouerb. 120.

NON OMNIVM EST OLere *moſchum.* Hoc *eſt, quod* Plautus *ait,* Non *omnes olere poſſunt unguenta exotica. ſignificant non omnes iis præditos facultatibus, aut m-*

genij acumine, aut morum dignatione, ut quo modo uel iure poſſint delicatè uiuere, docti & elegantes euadere, & magnopere honorari.

Prouerb. 121.

NON PRODEST RATIO, ubi uis imperat. Manifeſtus eſt ſenſus huius prouerbij, quod Hetruſcus poëta in triumpho amoris ita effert,

Ma ragion contra forza non ha lcco. et C. Caporalis in uita Me[...] parte quinta. Chi la forza la ragion s'usa.

huc pertinet quod dixit pro Milone M. Tullius, Silent enim leges inter arma. & ita quod relatum eſt in Chalcedonēſi ſynodo, Vbi gladij & fuſtes, qualis ſynodus eſt?

Prouerb. 122.

NON SIC VECTES EIVS. Prouerbiū fuiſſe uidetur Munſtero Eſaiæ cap. 16. de eo cuius uires non reſpondent præſumptioni, qui minus poſſit quàm uelit & clamitet. perinde ac qui hoſtem non timet, imbecilli tamen muro nec ſatis firmo oſtio munitur & ſeruatur: quíque ſuper menſam multa de inimico loquitur, & quaſi mihi debellaturus eum conuiciis proſcindit, dein uerò manu conſerta ſuccumbit & ſubruitur, ut de Beſſo prodit

Q. Curtius lib. 7. & de Baal ſacer liber Iudicum cap. 9.

Prouerb. 123.

NON SVM DIGNVS, VT *ſoluam corrigiam calciamenti tui.* Vox eſt *humilis & inſigniter modeſti hominis, prouerbialiter uſurpata. qua imprimis uſus eſt Ioannes Baptiſta, ut habet D. Lucas euangelij cap. 3. & ita omnino Edoardus Leeus quadam epiſtola ad Lupſetum, Nec unquam arrogaui mihi, ut poſſem Græcè aut Latinè ſoluere (quod aiunt) corrigiam calciamenti tui.*

Prouerb. 124.

NON SVNT HEBRAEAE, *ſicut AEgyptiæ mulieres.* Verbum eſt *obſtetricum, quæ correptæ ab AEgytio rege, quòd non occiderent, ſicut ille iuſſerat, dum obſtetricarent mulieribus Hebræorum maſculos, reſponderunt, non eſſe ſicut AEgyptias mulieres, ipſas Hebræas, quippe quæ obſtetricandi haberent ſcientiam, & priuſquàm uenirent ad eas, parerent. ſic Daniel obiurgans iudices illos peruerſos, Suſannæ accuſatores, ſeorſum alteri dixit, ſemen Chanaan & non Iuda, ſpe-*

cies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum: ſic faciebatis filiabus Iſraël, & illæ timentes loquebantur uobis: ſed filia Iuda non ſuſtinuit iniquitatem ueſtram. Ita ſignificabimus, non omnes etiam mulieres pariter eſſe ſtolidas. Eſſe quaſdam adeò generoſi pectoris, ut decipi nequeant: & quæ ſceleſtos ſollicitatores dum ſecurè contemnunt, dicere queant percommodè quod & uulgari prouerbio decantatur, Fatuis illud fit.

Prouerb. 125.

NVLLVS FATVVS TImet peccatum. Dicitur hoc ab Hebræis, de homine, qui neque in lege Dei, neque in ciuilibus rebus uerſatus eſt, qui quaſi beſtia, & quaſi omnia æquè ſe habeant, nihil agere ueretur. nec abludit illud Terentij, Homine imperito nunquam quicquàm iniuſtius.

Prouerb. 126.

NON ET SAVL INTER prophetas? De Saulo primo rege Hebræorum dicitur, qui obuium habens gregem prophetarũ repentè prophetauit quaſi unus ex illis: & ita de quocunque præter ſpem & ſubitò ad præ-

clarum quicquam emergente. atque cùm uideris indoctos quoſque in eccleſia docendi ſibi cathedram præſumere, & ſub perſona fidelis magiſtri peruerſos, non mandata Dei, *ſed ſuas traditiones ſeruandas, ſua dogmata ſectanda auditoribus imponere deceptis, dicito hoc ipſum, ut* Beda *præcipit in* Samuelem *lib. 3. cap. 6.*

Prouerb. 127.

NVNDINIS DISSOLVTIS, *non eſt negotiationis commercium.* Prouerbialiter *hoc dixiſſe uidetur* D. Ioãnes Damaſcenus *in ſermone de defunctis, ita intelligens in altero* Chriſti *aduentu, terribilíque iudicio, & mundi huius conſummatione, nullum futurum auxilij tempus, nullam profuturam aduocationem. ſicque paulò pòſt ait, ſuperaturam miſericordiam* Dei, *donec ultima retributio fiat, & ſoluantur hæ nundinæ. tum non futurum tempus auxilij: manſurum hominem cum onere ſuo. nunc tempus eſſe adiutorij, negotiationis, reconciliationis, ſolicitudinis, & laboris. ſi quem igitur nimis ſecurum, deſidem, & procraſtinantem admoneas captandæ in rebus agendis opportunitatis, ne ſi non agat, cùm poſſit, non*

poſſit cùm uolet, perſcitè dixeris: τῆς πανηγύρεως γὰρ διαλυθείσης, οὐκ ἐστὶ πραγματείας ἐμπόρευμα.

Prouerb. 128.

NVNQVAM PONAS LAgenam ſupra craterem potantium. Speciem prouerbij habet hoc ſymbolum, quo quid uoluerit ſignificare Heſiodus, non ſatis conſtare ait enarrator illius. dixeris utique doceri, non ſimul omnia effundenda, & aliorum libidini prodigenda, quæ habeas, ne hinc ipſe egens & famelicus miſerè uiuas, & denique pereas. addit enim Heſiodus,

ὀλοὴ γὰρ ἐπ᾽ αὐτῷ μοῖρα τέτυκται.

& ita prius admonens parſimoniæ, dum plurimum bonorum adeſt, ſubiicit:

-δειλὴ δ᾽ ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

Conuenit uulgare prouerbium, quod habet: Nunquam exuas te, antequam cubitum eas. hoc eſt, ne bona tua cuiquam planè concedas, priuſquam moriaris. legitur autem aliter Heſiodus, aut certè exponitur, ut à Franelzerenſi Friſio ita: Nec cratera ſuper potantum pone lagenam. Et planiùs à Nicolao Valla his ipſis uerbis, Scelus eſt cyathos imponere uaſi, in quo uina latent. quod licet non reſpondeat Heſiodi uerbis,

contrà ut diximus habētibus, Græcè ſic quidem μηδὲ ποτ᾽ οἰνοχόην τιθέμεν κρητῆρος ὕπερθεν πινόντων. tamen idipſum haud abſurdè reſpicit uulgare prouerbium, quo quis iratus minatur laceſſenti, ſe paratum, & ſi is ad rem ueniat, promptiſſimum futurum grauiſſimo cuique certamini, in hunc modum: Inuenies poculum ſupra dolium. quaſi dicat, ne me irrites, & ceu poculum ſupra dolium ponas: ne quemadmodum præſto eſt poculum ſupra uas poſitum bibere uolenti, ita rixam mouens, & malum quærens, citò inuenias & ſentias, id quod etiam uulgus prouerbialiter ſic dicit: Qui malum quæret, ipſum citò inueniet.

Prouerb. 129.

NVX, ASINVS, MVLIER, *uerbere opus habent.* Prouerbium *eſt relatum in primo hecatomythio* Abſtemij. *admonet nos naturæ nucis, quæ utiliùs ſaxo aut pertica decutitur, quàm decerpitur. ſicut & crocum, linum, fœnumgræcum, cuminum, ocymum feliciùs prouenire dicuntur ob illatam iniuriam.* Porrò *hoc nos admonet tarditatis & cerebroſitatis aſini, quem uix tandem multi pueri baculis uerberantes de prato pellunt, etiam ſatura-*

tum pabulo, ut & perhibet Homerus Iliad. II. *denique hóc prouerbio ſimulis ignauia & pertinacia malitiáque in muliere notatur: propter quæ excitanda eſt & domanda commodiſſimis uel linguæ uerberibus: nec ſinenda eſt unquam ſuæ poteſtati: & multò minus danda eſt illi poteſtas animæ tuæ, ut præcipit* Ecleſiaſticus *cap. 9.*

Prouerb. 130.

NVX ET VXOR PRIMA *iuuat, ſecunda nocet, tertia mors eſt.* Vulgare *prouerbium eſt, admonens nos incommoditatis iuglandium, uel plurium fermè in cibis cerebro grauium, & ſtomacho inutilium, ut docet* Plinius *lib. 23. cap. 8.* Pariterque *uxorum, uix primum ſuauium, & non ſemper moleſtarum: unde & dicitur,*

γυναῖκα θάπτειν κρεῖσσόν ἐστιν, ἢ γαμεῖν.

Prouerb. 131.

OCCASIONE PECCATVR. Vulgare *prouerbium eſt, cui reſpondet* Hebræorum *illud,* Occaſio *facit furem. docet nos anſam delinquēdi uitandā, iuxta id quod ſcripſit ad* Epheſios Apoſtolus, Nolite *locū dare diabolo.*

Prouerb. 132.

OLEVM IN ORE GESTAT. *De eo dicitur, cui loqui inhibitum eſt, neque uerbum fari licet, ut retulit Alexander Neapolitanus genialium dierum lib.5. cap. 15. quem uidelicet muneribus ligatum & diuitiis fartum, Græci etiam prouerbialiter dicunt bouem in lingua habere, & uulgus uocat incraſſatum.*

Prouerb. 133.

OMNES EFFVGIVNT *quod difficile eſt. Prouerbio utitur Plato in ſophiſta. id eſt, quod ait Plinius in præfatione naturalis hiſtoriæ, magna pars ſtudiorum amœnitates quærimus. nemo ſanè non doctiſſimus & argutiſſimus uult uideri. interea uerò delectabilia quiſque legit, auerſatur difficilia: & ſi in his interrogetur, non ſatiſfacit, ſed prudenter eludit, quod & prouerbialiter dicitur ex Originis fragmento relato apud Gratianũ, diſt. 43.*

Prouerb. 134.

OMNES OMNIA, ET *non omnes omnia. Verbum eſt Ariſtotelis Politicorum lib.7. cap. 9. ſignificans multos poſſe*

quod ſinguli nequeunt. ita nos admonet unitatis & concordiæ, necnon prudentiæ in diſcernendo & adaptando commoda cuique.

Prouerb. 135.

OPVS LAVDAT ARTIficem. *Prouerbium eſt, memoratum à* Gulielmo *Duranto in ſpeculo iudiciali, tractatu, de aduocato, capite, cui initium eſt,* Iam nunc uidendum. *tum à* Guliel. Poſtello *de orbis terræ concordia lib. 1. cap. 3. quintam demonſtrationem trinitatis ſic ordiente,* Res ſingulæ ſeu à natura deóue, ſeu ab arte ſint factæ, autorem (quod dici conſueuit) teſtari ſolent, eiúſque referre ueſtigia. hinc peritia & imperitia artificum dignoſci ab operibus ſolet. *præterea ſacrarum apodixeωn lib. 1. ita:* Quòd omnia effecta referant imaginem cauſæ non uulgarem, ſed perfectiſſimam, illud uel prouerbiũ uulgare, nullibi gentium non probatum oſtendit. re enim quauis conſpecta (benè uel malè facta ſit) id dicitur, Opus declarat autorem: aut, In opere uidetur artifex: aut, Tale opus qualis autor. *huc item reſpicit illud* Homeri *Odiſſ. lib. 8,*

οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος ὄφρα κεν ᾖσιν,
ἤ ὅτι ποσσίν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἑῇσιν.

tum illud Eccleſiaſtici *cap.9,* In *manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in ſapientia ſermonis ſui, in ſenſu uerò ſeniorum uerbum.* Ex *quib⁹ colligi ſenſum prouerbij, imprimis ex opere quocunque operarium uel autorē qualis ſit agnoſci: deinde ſi decens ſit opus, magiſque ſi ingenio & induſtria præſtet, artificem reddere glorioſum.*

Prouerb. 136.

ORATIO CANDIDA.

Prouerbialiter *dicitur candida oratio, perſpicua, clara, & manifeſta, ut docet* Elias Leuites Hebræus *in* Thiſbite. *itaque* Iuſtinianus *in lege edita ſuper emendatione ſui codicis, ipſum contrariis & ſuperfluis repurgatum, iuſtæ compoſitioni redditum, & noua elimationis luce illuſtratum dicit factum candidum.*

Prouerb. 137.

OSCVLVM VACVVM EST.

Legitur *hoc ita apud* Theocritum *eidyll.36,*

-κενὸν τὸ φίλαμα λέγουσιν.

quod etiamnum uulgò uſurpatur de oſculis, quæ non ſequitur res uenerea, dum dicitur, Tantun-

dem fert aura. quibus uerò iungitur res ipſa, oſcula muſcæ dicuntur.

Prouerb. 138.

OS IMPVDENS. *Prouerbialiter dicitur de impudenti facie, uultus improbi & perfrictæ frontis homine, cuiúſque mens impudica & praua meditatur, forma pudorem & grauitatem ſimulat, nõ quòd eum improbitatis pudeat, ſed ut perficiat ſimulationem, quem & ita non pudet eſſe impudentem . de hoc* Hebræi *dicunt, Qui eſt impudenti facie, dignus eſt gehenna.* Item *ſic deum precantur:* Libera *nos ab hominibus, qui ſunt impudenti facie.* Hûc *pertinet illud quod ait* Antipho Chæreæ *apud* Terentium *in* Eunucho, *actus 3. ſcæna 5,* Tum *equidem iſtuc os tuum impudens uidere nimiùm uellem.*

Prouerb. 139.

PALPAT IN MERIDIE. De *eo dicitur qui clariſſima & apertiſſima non uidet & intelligit, déque certiſſimis dubitat, quod euenit uel naturæ uitio & ingenti quapiam ſtupiditate, uel certè impietate, prauitate & malitia. quæ ſæpe mentem excæcat, ut*

non ſecùs habeat ſe ad manifeſtiſſima, quàm orbatus oculis corporeis ad lucem meridianam, Deo *utique omnium illuſtratore irato, & ſubtrahente lucem ſuam ingratis mortalibus. itaque* Deuteron.*cap.28.dicitur iis qui noluerint audire uocem domini,* Percutiet *te dominus amentia & cæcitate ac ſtupore cordis, & palpabis in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non diriges uias tuas.*

Prouerb. 140.

PANICVS PAVOR. *Prouerbialiter ſic dicitur metus repentinus, & cuius cauſa ignoratur, ut docet* Thomæus *uariæ hiſtoriæ lib.1.cap.29. quaſi à dæmone quopiam, uel* Deo*(qui & πᾶν, hoc eſt totum, ſiue uniuerſum uerè dicitur, teſte* D. Iuſtino *in euerſione falſorum dogmatum* Ariſtotelis*) ſit immiſſus. de quo* Iob *cap.13. ait;* Statim *ut ſe commouerit, turbabit uos: & terror eius irruet ſuper uos.*

Prouerb. 141.

PARVA PLVVIA MAGNUM *uentum ceſſare fecit.* Significat, *ut uentis, etſi nihil uolētius eſt, tamen iidem imbribus ſopiuntur, teſte* Plinio*: ita facto uel modi-*

co cordati uiri & uerberibus, ſuperari minas uani hominis & uerba quantumuis tumida.

Prouerb. 142.

PARVVLVS FACIT VT *paruulus.* Hoc *nos admonet indulgendum eſſe paruulis per ætatem innoxiè ludentibus, & compatiendum imbecillis & rudibus parum ſtrenuè, & ſcitè quicquam agentibus. nihilomagis tamen nobis uiris permittendũ, quaſi paruulos ineptire, & quicquam non ſerium agere, ſed iam ut uiros ſapere, & planè uiris digna præſtare. ut quondam* Plato & Picus *patruus amatoria, quæ tenera ætate cecinerant, uiri facti de medio ſuſtulerunt, & toti ſe philoſophiæ dederunt. ſic* Telemachus *apud* Homerum Odyſſe. *lib.2. procis res ipſius conſumentibus denuntiat, ſe id illis ſiuiſſe, cùm erat paruus: cæterùm iam magnum factũ, nil amplius permiſſurum.* Paulus *quoque* Corinthiis *conteſtatur, cùm eſſet paruulus, locutum ut paruulum, ſapuiſſe ut paruulum, cogitaſſe ut paruulum: poſtquàm autem factus eſt uir, euacuaſſe quæ erãt paruuli.* Idem *cohortatur* Epheſios, *ut iam non ſint paruuli fluctuantes, & circunferantur omni uento doctrinæ. ita hûc*

accommodum eſt etiam illud uulgo iactatum, Qui plus mentis habet, plus illius impendat.

Prouerb. 143.

PASCITVR VENTO. *Prouerbialis locutio eſt in ſacris quoque lecta de eo, qui oſtentatione quapiam & fuco mēdaciis & promiſſis uanis deluditur, ut qui fumum emere dicitur.*

Prouerb. 144.

PASETIS SEMIOBOLVS. *Dictum uidetur de immenſis, inexhauſtis, & penè miraculo ſemper durantibus cuiuſpiam aſſiduos ſumptus facientis diuitiis & pecuniis. erat enim Paſes, magus, ſemiobolū habens, quo ſemper omnibus in rebus coëmendis utebatur, nec unquam eo carebat, quippe qui traditus uenditori continuò ad ipſum Paſetem reuertebatur, ut retulit Thomæus uariæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 24.*

Prouerb. 145.

PAVPER EST DIVES, *qui ſuis non utitur. Vulgi prouerbium eſt, idem quod Arabum illud, cuius meminit enar-*

rator ſententiarum Ben Syræ Hebræi *in hunc modum,* Nemo *eſt pauperior diuite, qui non audet uti diuitiis ſuis. paritérque habet uetus* id, *quod refertur à* Paraphraſte *operum & dierum* Heſiodi, *paupertatem certiſſimam eſſe, cùm alicuius indigeas uti eo non poſſe, quia ignoretur ubi proiectum iaceat quod deſideratur. ita hoc unum ſcitè nos admonet liberalitatis & ordinis.*

Prouerb. 146.

PAVPERTAS, ALTERA *mors eſt.* Commodùm *ſcripſit* Cicero *in officialibus,* Nihil *eſt tam contra naturam, quàm mors, quàm paupertas. ita proximũ morti malum hominum paupertatem, & ſimilem, mortémque quandam eſſe indicat.* Hûc *etiam ſpectat quod nobis dicitur ſecundus ſanguis eſſe pecunia, & miſeris anima dirum mortalibus aurum, & poſſeſſiones multæ, quas deſiderat quicunque indigens, ut nobiliſſimi poëtæ teſtantur. atque* Hebræis *celebris ſententia eſt, pauperem reputari tanquàm mortuum.*

Prouerb. 147.

PAXILLVS NVLLVS, *quàm eiuſdem ligni deterior.* Paxillus *dici-*

tur hîc, qui uel ligno arrecto in pariete figitur, quo aliquid ſuſpendatur. unde illud Varronis *apud* Nonium, *Zeno nouam hæreſim nouo paxillo ſuſpendit.* Et *illud,* Nouum *cribrum paxillo nouo appendit. tum apud* Ezechielem *cap.* 15, Nunquid *tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcunque uas? ad quæ adludit* Paſquilli *uox & uſus* Romæ *notiſſimus. ſolet autem* Paxillus *huiuſmodi, generis eiuſdem ligno ſegniùs hærere & incommodior eſſe. ut in omni genere & glutinum abdicāt quædam, & inter ſe, & cum aliis inſociabili glutino ſunt, ſicut robur. ſed nec ferè cohærent niſi quodammodo ſimilia natura, ut lapis ligno minimè coniungitur. cornum autem maximè audit ſorbus, carpinus, buxus, poſtea tilia. cæterùm amiciores & benigniores propinquos propinquis eſſe conuenit: at extraneos tales magis eſſe plerunque uidemus. unde & prouerbialiter haud ab re illud ex ſacris celebratur,* Inimici *hominis domeſtici eius.*

Prouerb. 148.

PEDES IN STRIPEDIO habet. Stripedium *eſt quod alij ſtapedem uo-*

cant. utrunque nomen nouum eſt inſtrumenti nimirum olim incognití, quo inſidentis equo pedes utrinque componuntur & ſuſtinentur. dicitur de eo qui receſſurus eſt, & paratus ad fugam: ut illud, Talaria induit.

Prouerb. 149.

PERPERAM PARTIS *non gaudet tertius hæres. In hunc modum per ora uirûm ſententia uolitat, quemadmodum illa, Malè parta, malè dilabuntur. quam retulit enarrator* Heſiodi, *ubi is ait quoque aptiſſimè:*

Εἰ γάρ τις καὶ χερσὶ βίῃ μέγαν ὄλβον ἕληται,
Ἢ ὅγ᾽ ἀπὸ γλώσσης ληΐσσεται (οἷά τε πολλὰ
Γίνεται, εὖτ᾽ ἂν δὴ κέρδος νόον ἐξαπατήσῃ
Ἀνθρώπων, αἰδῶ δέ τ᾽ ἀναιδείη κατοπάζῃ)
Ῥεῖά τε μιν μαυροῦσι θεοὶ, μινύθουσι δὲ οἶκοι.
Ἀνέρι τῷ, παῦρον δέ τ᾽ ἐπὶ χρόνον ὄλβος ὀπηδεῖ.

Prouerb. 150.

PETITE, ET ACCIPIETIS. *Verbum Chriſti eſt, relatum in Euangelio Ioannis cap. 16. prouerbialiter uſurpatum in eos, qui cùm re aliqua egeant, eámque poſtulatione opportuna & cura diligenti obtinere poſſint, de genere pudore ſilentes, aut neglectu a-*

lioquin peruerſo cunctātes, ſibiipſis obſtant quominus habeant. ſic apud Homerum Odiſſeæ lib. 17. Telemachus iubet Vlyſſem patrem, ſub habitu mendici latentem, petere uictum ab omnibus procis qui in domo eius erant, ſubiiciens αἰδὼ δ' οὐκ ἀγαθὴν ἔμμεναι ἀνδρὶ προΐκτῃ. Ex quo præcipit in Lachete Plato, ut ne grandiores natu diſcere, ac ludum literariũ ingredi pudeat. Ad quod pertinet etiam illud Heſiodi, Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει. Facit huc quoque illud poëtæ uetuſtiſſimi, quod ut prouerbium citauit Baptiſta Pius in Sidoniũ lib. 8. epiſt. 6, Loqui uolo: nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe.

Prouerb. 151.

PHOCENSIVM DESPERATIO. Græco prouerbio dicitur, cum extremo conatu difficilimis rebus conſulitur: ut ſibi quondam conſuluerunt ſummo in periculo aduerſus Theſſalos ipſi Phocenſes, deſperati illis occurrentes, domi uerò quoſdam ſpectatæ fidei relinquentes uiros, qui ſi quid duriùs contigiſſe ſibi audirēt, ne quid reliqui eſſet, quo hoſtis potiretur, omne pretioſum cum mulieribus igne conſumerent, ut retulit Thomæus uariæ hiſto-

riæ lib. 2. cap. 4. ſicque ueteri prouerbio dicitur, Non eſſe cum deſperatis certandum. nec ab re docetur à prudētibus, hoſti fugienti eſſe quoque pontem aureum faciendum.

Prouerb. 152.

PILI CVIVSQVE COloris eſt degener beſtia. Dicitur hoc in hominem pulchri quidem habitus, at inualidis uiribus & prauis moribus. ut contrà quidam ſunt ſpecie contemptibiles, uirtute autem præcellentes homines. atque quorumuis animalium conſtitutioni non ſemper reſpondent ſigna extrinſeca: ſuntque omnium colorum bona & mala. ſic quidam in equis album laudāt, alij atrum, alij glaucum, alij puniceum. contingit autem & aliorum colorum bonos equos eſſe, teſte Conſtantino de agricultura lib. 16. cap. 2. unde & dixeris, pili cuiuſque coloris bonum animal.

Prouerb. 153.

PISCATVR IN AQVA turbida. Hoc uulgari prouerbio ſignificatur aſtutia cuiuſpiam, qui dum alij rixantur inter ſe, ipſe accepta occaſione ſuis ſtudet, & proſpicit commodis, quem nihil moratur, ſed ualdè iuuat aliorum incommoditas, ut ſibi commo-

det, qui ex aliorum incommodis diſſimulanter ſua comparat commoda. perinde ac obſeruans aquam turbidam, ex ea decipuli magis neſciam faciliùs captat prædam.

Prouerb. 154.

PLACENTA MALÈ COcta. *Dicitur opus haud planè animaduerſum, nec ſatis perfectum. quale uidetur damnatum etiam ipſi quidē autori, egregio uidelicet Maroni. in cuius laudem ſeriò dictū putamus, Arma uirûm: nónne hoc ſpumoſum & cortice pingui?*

Vt ramale uetus prægrādi ſubere coctum. Sic Oſeas cap. 7. panem ſubcinericium non uerſum dicit populum Dei temerè agentem. ſicque uulgo notatur utcunque tranſacta cauſa malè ſciſſa ueſte.

Prouerb. 155.

PLANVS SEMEL CRVRA fregit. *Porphyrio interpres Horatij in epiſt. docet ortum prouerbium ab inſigni quopiam impoſtore, qui ſæpè fingens crus ſibi fractum, aliquandiu multos irriſit, quorum in uehicula tollebatur: dein uerè fracto crure, quaſi etiam tum luderet, neglectus eſt. hæc eſt pœna hominis*

mendacis, ut ſi quando cœperit uerum dicere, haud facilè adhibeatur ei fides, ut habent Hebræi. D. *quoque* Hierony. *in epiſtola ad* Iulianũ *diaconum, antiquus ſermo eſt, inquit,* Mendaces *faciunt, ut nec uera dicentibus credatur.*

Prouerb. 156.

PLENVS ES. *Prouerbialiter dicitur in eum qui diues opum nullius gratiam promereri ſtudet, & nihil alteri impertiri curat. qualem etiam ſic notat* Petrarcha *de remediis utriuſque fortunæ lib.* I. *Plenus es? Caue ne rumparis.* Omnis *enim plenitudo exitum quærit.* Tum *è re ſiniſtros humanæ communionis ſuggillatores, de paſſerum natura probè arguit* Tyaneus *apud* Philoſtratum *lib.* 4. *opportunè nimirùm ſubiiciens,* Quòd *ſi bona aliis communicandi facultas adimatur, quid aliud ſupereſt, niſi ut ſe quiſque domi occludens, uelut aues, quas pinguefaciendi cauſa in tenebris paſcimus, uſque ad uentris diruptionẽ pingueſcat?*

Prouerb. 157.

PLVRES OCCIDIT GVLA, *quàm gladius.* Hoc *uulgari prouerbio admonemur temperantiæ cibi & potus, longè utiliſſimæ, & ita colendiſſimæ, dum admonemur in-*

tēperātiæ & ingluuiei inutiliſſimæ, ſicq; ſummopere cauendæ. quam quidem etiam abhorruit is, cuius deus uenter fuit & gloria, nempe Plinius Thnetophychus teſtatus & eò mores ueniſſe, ut homo maximè cibo pereat. eóque reſpexiſſe uidetur ſapiens cùm præcipit, Quando ſederis ut comedas cum principe, diligēter attende quæ poſita ſunt ante te: & ſtatue cultrū in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuā.

Prouerb. 158.

POST PLVVIVM SErenum tempus uenit. Vulgare prouerbium eſt, quo calamitoſorum ſpes erigitur, & admonentur mortales ut fortes ſint, confidant, & meliora ſperent. ſic apud Theocritum ſuper dura fortuna dolentem Battum conſolatur Corydon:

Θαρσεῖν χρὴ φίλε βάττε· τάχ᾽ αὔριον ἔσσετ᾽ ἄμεινον
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χ' ὁ ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ᾽ ὕει.

Similitérque habet uerſus à Phauorino laudatus:

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Simile quoque illud eſt, de quo meminit Auſonius, Sequitur uer hyemem.

Prouerb. 159.

POST TONITRVA PLVuia uenit. *Dicitur hoc uulgo, cum aliquis ſæpe minatus, tandem minis opus & uerbera adiiciat.* de quo etiam illud *imprimis dicere conuenit,* quod habet Ieremias *cap.* 10, Fulgura *in pluuiã facit. hócq; ipſum quod uulgus dicit, planè uetus apparet, ex eo quod.* D. Hierony. *lib.* 1. *in* Iouinianũ, *retulit* Socratem Xantipæ *uxori poſt multa conuicia aqua ipſum perfundenti, reſpondiſſe:* Sciebam *futurum, ut iſta tonitrua imber ſequeretur.*

Prouerb. 160.

PRAESTAT ALIQVANdo, quàm nunquam. Prouerbialiter hoc dicitur de eo, quod *iamdiu quidpiam deſiderauit, aut optare debuit, necdum tamen aſſecutus eſt. poteſt autem conſequi uel extremo tempore uitæ ſuæ, ut imprimis uirtutem, de qua* Socrates *ait in* Xenophontis *œconomico:* ἀγαθὴ' δεῖν ἡμᾶς ἐξ ὡς ἀρετῆς ἄρχεσθαι.

Prouerb. 161.

PRO QVARTANA, NON pulſatur campana. Prouerbij *meminit* Gomeſius *interpres beneficiarij iuris, quod inſcri-*

bitur de infirmis reſignantibus, quæſtione 28. *docet quartanam febrem minime letiferam eſſe ſolere, cuius cauſa nemo moritur. inde nec mortuo parẽtatur, nec, ut moris religioſi eſt, ſacra cãpana pulſatur. quippe qua non niſi media ætas, quæ bili atra abundat, qua illa conſtat, infeſtatur: & ea purgatur ita, ut qui quartanam paſſus conualuerit, uiréſque integras recuperauerit, fideliùs cònſtantiúſque poſtea ſit ualiturus, ut tradunt* Hippocrates *lib. de natura humana, &* Gellius *lib.*17.*cap.* 12. *tum exprimit* Cornel. Celſus *lib.*3.*cap.*15.*quartana neminem iugulari.*

Prouerb. 162.

PYRI FINEM FACIES. *Commune eloquium eſt, memoratum à* Cyno *interprete* Codicis Iuſtiniani *lib.*3.*tit.*32.*cap.*22. *tantundem ualens, quantum illud,* Collum *in laqueum inſeres, ſuſpenderis, ſuſpendio finem uitæ accipies, ut pendens de arbore ſummáque acuminata parte ueluti collo obligato matureſcit & conſummatur pyrum: hoc item habens commune cum cæteris fructibus, ut quandiu decerptum non eſt & perceptum, locóque cui naturaliter hæret, motum, pendens dicatur, non tantùm quòd de arbore pendeat, ſed & quia ar-*

bori innitatur & differatur eius perceptio. Qua ratione utique etiam alij fructus pendere dicuntur, quandiu ſolo cohæreant. etſi hoc ille negat, ſed uel Africanus docet Digeſt. lib. 47. tracta. de furtis, cap. 61. obiurgamus autem hoc prouerbio facinoroſum hominem, deterremus à malo, & cohortamur ad melius uitæ inſtitutum capeſcendum, dum de præſenti uita ominamur illi, & prædicimus laqueum, quem emendans ſe, adhuc uitare poſſit: iuxta illud, Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. ſi autem malum feceris, time. non enim ſine cauſa gladium portat. Dei miniſter eſt uindex in iram ei qui malum agit.

Prouerb. 163.

QVADRIGA BOVEM SAEPIſſimè dicit. Hoc prouerbio dici ſolitum teſtatur Lucianus in dialogis mortuorum, quod etiamnum uulgus dictitat, cùm aliquid perperam fit aut dicitur, útque habet ſchema Græcum ὕστερον πρότερον.

Prouerb. 164.

QVI AMAT ME, AMAT & canem meum. Hoc prouerbio comprobatur

amicitia uera, tum falſa coarguitur: quum ueræ amicitiæ ſit, quæ ſunt amico commoda unà cum ipſo diligere & curare: atque inde intelligatur fictus amicus eſſe, qui quæ amici ſunt, negligit, iuxta illud Chriſti *apud* Lucam, *euangelij cap.* 10, *Qui uos audit, me audit: & qui uos ſpernit, me ſpernit. tum* Leonis Papæ *uerbum relatum à* Gratiano 25. q. 1, *Quoties quis negligenter paſcit dominicum gregem commendatum, toties conuincitur ſummum non amare paſtorem.*

Prouerb. 165.

QVI COGNOSCIT LO*cum ſuum.* Sapientum Hebræorum *uerbum eſt, prouerbiale, ut adnotat* Fagius, *de eo qui ſibi bene notus eſt, qui ſua probè moderatur, lætus ſorte ſua uiuit, nec ampliorem quàm cõueniat, ambit honorem, nec ſcilicet abiectiùs ſe habet, quàm oporteat.*

Prouerb. 166.

QVID CANI ET BAL*neo commune eſt?* Admonemur *hoc prouerbio nihil eſſe contra naturæ uel moris habitũ præſumendum. quomodo uſus uidetur ille, de quo* Aëtius *medicus tetrabibli* 2. *ſermo.* 2. *cap.* 24,

Omnes qui à rabioſo cane morſi ſunt, ſi neglecti fuerint, aut malè curati, in affectionem timoris aquæ incidunt: quidam ſtatim, alij poſt quadraginta dies, alij poſt lõgius tempus. Aut enim in ea uident faciem ſuam iniucundam, aut imaginem canis, ut Philoſophus quidam à rabioſo cane morſus: qui quidem tamen timorẽ expulit, ac bibit, generoſo animo affectioni reſiſtens, & ſecum ita locutus, Quid cani & balneo commune eſt?

Prouerb. 167.

QVI INTERROGANT, INterrogent in Abela. Hoc ueteri prouerbio dictũ ſcribitur in ſacris Regum libris. quandoquidem Abela, ciuitas erat, quam expugnare & diſſipare uelle uidebatur Ioab, quærens tamen ſolum Sebam rebellem apprehendere, qui ingreſſus erat Abelam ipſam: nec ſciſcitabatur Ioab ex ea, num uellent Sebam tradere. unde redarguitur à muliere, opportunè commemorante Abelam, & uetus Dei præceptum in prouerbium uerſum referente, quod habet primum offerendam pacem, euertendæ ciuitati ſi renuerit. quemadmodum & Comicus ait, Omnia prius experiri conſilio, quàm armis ſapientem decet.

Prouerb. 168.

QVI NESCIT ORARE, *aſcendat mare.* Vulgi prouerbium eſt, traditum à Gomeſio interprete iuris ſacerdotiorum, tractatu de infirmis reſignantibus, quæſtione 8. docet adeò periculoſam eſſe nauigationẽ, ut ſæpe omni ſpe humana deſtituti, cogantur diuinum implorare ſubſidium. nimirùm ea dicitur ab Heſiodo δυσαπέμφελος, à δὺς & πέμπω, quòd uel ægrè remittat afflictos, uel omnino nõ remittat nauigantes, ut commodè Philippus paraphraſtes cenſuit. atque huc pertinet illud Laodamantis Homerici:

οὐ γὰρ ἔγω δ' ἔτι φημὶ κακώτερον ἄλλο θαλάσσης,
ἄνδρα τε συγχεῦσαι, εἰ καὶ μάλα κάρτερος εἴη.

Prouerb. 169.

QVI NIMIVM FESTINAT, *caldum edit.* Dicitur hoc de uoracibus moræ impatientibus, dúmque cibos adpoſitos adhuc feruentes ſtatim captant, os lædentibus, ac ita cibum aſſumptum repellentibus, & magis deinceps in edendo cunctantibus. in eos ſimiliter qui dum imprudẽter accelerare quicquam ſtudent, reipſa impediunt & tardant. ut eſt in fabulis de eo, qui anſerem habens ſin-

gulis diebus ſingula oua aurea ponentem, ratus Gazam in uiſceribus habere, ut ſubitò fieret diues, iugulauit, nec quicquam in uiſceribus reperit. ſicque poëta Hetruſcus cecinit:

E per troppo ſpronar la fuga è tarda.

ac uetus eſt illud quod è re dicitur, Feſtinatione feſtinationem tolli. Hinc & illud prouerbiale, cuius meminit Sidonius lib. 2. epiſ. 6, Sæpe mora melior.

Prouerb. 170.

QVI POTEST CAPERE, *capiat. Verbũ Chriſti eſt prouerbialiter uſurpatum in re uel intellectu difficili, ut à Placentino interprete Codicis Iuſtiniani, tractatu, ſi quis alteri uel ſibi ſub alterius nomine, uel aliena pecunia emerit.*

Prouerb. 171.

QVI TEMPVS PRAESTO*latur, tempus ei deeſt. Prouerbium eſt in negligentes, cunctabundos, & futurorum fiducia nimium innitentes. Hûc ſpectat illud Chryſoſtomi relatum à Gratiano de conſecratio. diſtinct. 4. c. quando. ſiquis ad hoc baptiſma diſtulerit, ut amplius delinquat, ipſum ferit negligentiæ cauſa.*

Prouerb. 172.

QVI TOTVM VVLT, *totum perdit.* Hoc prouerbio docemur cohibere auaritiã, uel eo quòd ipſa ſe puniat, & dũ multũ uult, parũ aut nihil ſæpe habere faciat. Itaque ſic habet ſacrũ Maguntiæ habitũ conciliũ, Admonemus, & præcipimus, ut decima de omnibus dari non negligatur, quia Deus ipſe ſibi dari cõſtituit, quia timendũ eſt, ut quiſquis Deo debitũ abſtrahit, per peccatũ perdat neceſſaria. ſic omnia cum uita peſſimè perdiderunt Sodomitæ, qui licet omnibus abundarent, & multũ ſine ſuo malo & dãnò alteri benefacere & gratificari poſſent, tamen nolebant, & ſibi ſua omnino retinebant, ut docent Hebræi. unde & prouerbio dictũ eſt in eiuſmodi inhumanos, Sodomitarum ingenium imitantur.

Prouerb. 173.

REGIONES ALBAE SVNT *ad meſſem.* Hoc uerbo euangelico & prouerbiali nimirùm cauillantur ſenes propter canos ſcilicet & meſſem mortis, ut docet Theophylactus in D. Ioannis euangelium cap. 4.

Prouerb. 174.

REGIO QVAEQVE SVAS *leges habet.* Sic ſe habet Græcum memoratum à

Murmellio in Boëthium de cõſolatione philoſophiæ lib.1.& ab enarratore operum & dierum Heſiodi: νόμος καὶ χώρα. ſic unaquæque eccleſia, pro locorum uarietate, prout cuique uiſum eſt priuatis cõſtitutionibus & propriis informationibus & ſubſiſtere & regi dicitur à D. Auguſtino relato apud Gratianũ diſt.11.c.catholica. Et certè permittitur à ſummo pontifice, D.Hieronymo, apoſtolo, & aliis, ut unaquæque prouincia, quin unuſquiſque (quando diuerſitatem corporũ diuerſitas ſequitur animorum) in indifferentibus ſuo ſenſu abundet.

Prouerb. 175.

RISVS CAVPONIS. Prouerbio dicitur de ſimulato, & ad fraudem compoſito cuiuſpiam riſu, qualis eſt cauponis & meritorij hoſpitis. cuius nunc fermè eſt uſus, atque ideo neceſſarius, etſi parum fidelis. de quo illud ex ſacris cõmodùm dixeris, Comede & bibe, dicet tibi: & mens eius non erit tecum. unde hoc quoque prouerbialiter dicitur: Simus ab hoſpite tuti. ſimilitérq; dictus eſt ab antiquis riſus Sardonius, de quo Thomæus uariæ hiſtoriæ lib.1.

Prouerb. 176.

SATIVS EST FVGERE, quàm malè manere. Manifeſtum eſt, quod in

peſtē frequentiſſimè uſurpatur. cuius lue corruptum aerem domeſticum & urbanum protinus & longiùs fugiendũ, & tardiùs redeundũ prudentiſſimi docent. in quo etiam illud citatur ex ſacris, Dediſti domine, metuentibus te ſignificationē, ut fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui. Hûc item pertinet uerſus relatus à Gellio lib. 17. cap. 21:

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Tum ille Homeri Iliad. lib. 14:

Βέλτερον, ὃς φεύγων προφύγῃ κακὸν, ἠὲ ἁλώῃ.

Atque illud, quod diffidens iudicio Athenienſiũ perhibetur dixiſſe Alcibiades, ut eſt relatum ab Æliano uariæ hiſtoriæ lib. 13. Stultum eſſe iudicium quærere, non fuga tibi conſulere, cùm fugere poſſis.

Prouerb. 177.

SCHOLAE ITER FACIT.

Dicitur de eo, qui operis cuiuſpiam pertæſus, ægrè illud aggreditur, & dum ad id ſe accingere & properare dictitat, tamen, quantum poteſt, cunctatur, ambages & diuerticula quærit. quẽadmodũ pueri primùm inuiti, propterea quòd ſunt radices amariſſimæ literarum, & uapulãt à præceptoribus, ad ludum literarium pergũt,

ita ut quam longam quærant uiam, quò tardiùs eo ueniant, & citiùs inde recedant.

Prouerb. 178.

SEMEL IN OMNI VITA *cuique arridet fortuna.* Hoc *eſt quod dicunt* Hebræi, Non *eſt homo, cui non ſit hora ſua: & nulla res eſt, quæ non habeat locum ſuum.* Et *habet* Eccleſiaſtes, Omni *negotio tempus eſt, & opportunitas. ita admonetur quãtumuis infelicis uitæ & neglecti artificij homo, ut confidat aliquando ſe futurum felicem & iuſti pretij. itaque conſolẽtur ſe, uel hoc nômine, ſtudioſi literarum & diſciplinarum, in egeſtate manentes. quando etiã ut exprimit ex* Lycurgo P. Rutilius *in ſchematibus, haudquaquam temerè diligens ſtudiũ uirtutis fructus fortunæ fallit. euenit ſanè ut aliquãdo opus ſit omnino uiri eruditi induſtria, unde illũ rogẽt, uelint nolint, eóque utãtur magno cum eius prouẽtu & decore. tum ita monetur unuſquiſque uel oblatæ ſemel opportunitatis captandæ, ne ſerò queratur auolaſſe. iuxta quod* Scythæ *dicũt, autore* Curtio *lib. 7. ſine pedibus eſſe fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet: cùm manus porrigit, pinnas quoq; cõprehendere non ſinit.*

Prouerb. 179.

SERPENS EST EIICIENdus è dumo. Dicimus hoc, cùm quieſcens malum uel latens periculum, ne quando nos incogitantes & incautiores noceat, palàm facere & cõficere protinus malumus. quod frequẽter auditur à cordatis uiris, uel ſenibus in iudiciis litigantibus, lites uel concordiæ futuræ ſpecie interquieſcentes mox finire, & aleam omnem experiri cupiẽtibus, ne fortè poſtea iiſdẽ imparatioribus uel liberis eorũ incõmodiores ſint.

Prouerb. 180.

SIMIA SENEX NON capitur laqueo. Prouerbiũ eſt, ut adnotat in genialibus Alexander, de eo qui perſpicacis eſt ingenij, adeò ut nulli occaſioni fraudis pateat. ueteratorẽ aduocatũ dicere potes ex Budæo, qui diu ac multum in foro uerſatus, omnes litiũ trahendarũ anfractus, omnes ambagioſas fugitandi ludificationes, omnes prehenſiones, nexúſque lubrici litiũ certaminis tenet, qui in ancipiti forenſium ſalebrarum marte, belliſſimè inſidias diſponere atque prouidere nouit.

Prouerb. 181.

SVA CVIQVE ARS PRO reditu & uiatico eſt. Admonet hoc prouerbiũ,

non pecunias, non opes, ad uitæ huius ſubſidiũ mortalibus cõducere omnino, ſed magis artẽ & eruditionẽ, quam nemo hominũ, nulluſq; humanorum caſuũ, ut illa auferre poſſit. ex quo Bias philoſophus patriã relinquẽs, unà cũ illis omnibus, quæ uulgò bona dicũtur, omnia ſua ſecum ferre dicebat. & Theophraſtus doctũ in omni ciuitate eſſe ciuẽ, difficiléſq; fortunæ ſine timore poſſe deſpicere caſus, aiebat. ita Hermodorus eiectus ab Epheſiis, Romæ etiã ferẽdarũ legũ duodecim tabularũ autor extitit. Ariſtippus quoque naufragio nudus Rhodũ perueniẽs, protinúſque ibi de philoſophia diſputãs, muneribus eſt donatus, ut non tãtùm ſe ornaret, ſed etiã eis, qui unà fuerãt, ueſtitum, & cætera, quæ opus eſſent ad uictũ, præſtaret. Cúmque ij, comites ſcilicet in patriam reuerti uoluiſſent, ipſúmque rogarẽt, quídnã uellet domũ renuntiari: tunc ita mãdauit dicere, eiuſmodi poſſeſſiones & uiatica liberis oportere parari, quæ etiã è naufragio unà poſſent enatare. per hoc planiſſimè innuẽs quod prouerbio dicitur, Suam cuique artem maximè reditum & uiaticum eſſe. Proinde item Alexis ait, Athenienſes præ cæteris Græcis oportere laudari, quòd non ut illi legibus cogant parẽtes ali à liberis, ſed quòd parentes eos ali

à liberis cogant, qui ipſos liberos literis & artibus erudiri curarint. itaque Vitruuius ſe parentibus maximas infinitáſque agere atque habere gratias dicit, quòd Athenienſiũ legem probantes, eum arte erudiendum curarũt, & ea quæ non poteſt eſſe probata ſine literatura, encyclióque doctrinarum omnium diſciplina.

Prouerb. 182.

SVO GLADIO IVGVLAtur. *De eo dicitur, qui ſuis in alium paratis uel intẽtatis armis, factiſue aut dictis perit, uel uincitur & redarguitur. exemplũ ſumere licet imprimis à Goliath, qui ſingulari certamine uictus à Dauide, ſuomet trucidatur gladio. deinde à philoſophis, qui dum uerum perperam quæſierũt, fœdiſſimè aberrarũt, dum inueniſſe ipſum putauerunt, & ſe ſapientes dixerunt, ſuiſmet ſcriptis ſtultiſſimi fuiſſe conuincuntur. ex quo Lactantius diuinarum inſtitutionum lib. 3. cap. 28. ſic ait, Quid igitur pugnes aduerſus homines eos, qui ſuo ſibi gladio pereunt? quid labores, ut eos deſtruas, quos ſua ipſos deſtruit atque affligit oratio? huc facit etiã illud Ethruſci poëtæ:*
Tal biaſma altrui, che ſe ſteſſo condanna.

Prouerb. 183.

SYLOSONTIS OPERA

ſpatium eſt atque latitudo. Prouerbij meminit Heraclides *in politiis, orti à* Syloſonte, *qui* Samiorum *adeptus imperiũ, eorum rempu. expilauit & deſolatus eſt.* Competit *in ſimilẽ imperioſiùs & auariùs agentem dominum, qui quãta poteſt à ſubditis aufert, & facit ut nemo quicquam habeat. unde ab omnibus fugitur, & latè patens inhabitata eius regio linquitur.*

Prouerb. 184.

TENEDIA SECVRI PERcuſſus. De eo *dicitur, cuius mox delictum & præcipitanter punitum eſt, de præcipitiis, ut habet* Heraclides *in* Tenediorũ *politia, ex eo quòd rex eorũ nomine* Tennes *legem poſuit, ut ſi quis adulterum deprehendiſſet, eum ſecuri necaret: ac cùm is qui deprehẽderat eius filium, quid faciendum rogaret, reſpondit, ut lege uteretur. itaque in altera parte numiſmatum ſuorum ſecurim inſculpſit, in altera uiri ac mulieris facies ex uno collo ſurgentes, denotans hoc quoque paratam & propinquam eſſe illis lethiferam uindictam, ſtatim ac ſe ita improbè iungerent.*

Prouerb. 185.

TINNIENT AVRES EIVS. Prouerbialiter *hoc dicimus, cùm minamur alicui*

rem ualde grauẽ nos facturos uel dicturos: quòd ſoleant conterritis caſu emotis ſpiritibus per aures erumpentibus tinnitus fieri. ſic Hieremiæ *cap.19. dicitur præceptum à* Deo *loqui* Hebræis, Hæc *dicit* Domin*us exercituum*, Deus Iſrael: *ecce ego inducam afflictionẽ ſuper locum iſtum, ita ut omnis qui audierit illám, tinniant aures eius.* Regum *quoque lib.1. cap.3. narratur dominus dixiſſe ad* Samuelem, Ecce *ego facio uerbum in* Iſrael, *quod quicũque audierit, tinnient ambæ aures eius. inibíque* Munſterus *ſcribit notandum id dici prouerbialiter, pro conſternari & obſtupefieri in re graui & horrenda.*

Prouerb. 186.

TRANSGRESSIO TRANSgreſſionem *trahit.* Prouerbiale hoc apud Hebræos, *ſignificat ea natura eſſe peccatum, eo magis cauẽdum, quòd non ſolùm maneat, ſed mox ad ſe aliud trahat, ut uiſum eſt in* Dauide *alioquin optimo, &* Deo *gratiſſimo uiro, qui adulterio patrato non multò pòſt ex eo in homicidium incidit.*

Prouerb. 187.

VBI DE HOC? Prouerbialiter *dicimus, innuentes nullibi mentionem aut probationem idoneam eſſe eius quod tanquam uerum*

dicitur, & incredibile uidetur. ut ſi quis aſſerat ſe cum mandatis ſecretis principis ueniſſe, ei, quantauis dignitate præſtet, non eſſe credendũ, legibus ciuilibus expreſſum conſtat.

Prouerb. 188.

VBI VBER, IBI TVBER. Prouerbij meminit L. Apuleius Floridorum lib. 4. ita docens nihil quicquam homini tam diuinitus datum, tam proſperum omnino in hac uita contingere poſſe, quin & tum admixtum ſit aliquid difficultatis: ut etiam in ampliſſima quaque lætitia ſubſit quæpiam uel parua querimonia, coniugatione quadam melis & felis.

Prouerb. 189.

VESPARVM EXAMEN metuit Phrynicus, uelut gallus gallinaceus. Etſi gallus gallinaceus pugnax, & longè animoſus ſit, atque leonem regem beſtiarum fortiſſimum cantu terreat, tamen uel multitudini apũ cedit. etiam licet Phrynicus tragicus Mileti captiuitatẽ fortiter ageret, Athenięſes tamen cõmoti & collachrymãtes, eum metuẽtem & perhorreſcentem eiecerunt. Prouerbium conuenit in eos qui damnum patiũtur, ut adnotatũ eſt ab AEliano uariæ hiſtoriæ lib. 13. ita ſcilicet ut ſubitò, & præter ſpem, à multiſque quatiãtur: in quo &

uulgari prouerbio dicitur, nimios multos eſſe. hûcque detorſit, inſignis poëta canens imprimis oppreſſos paucos milites gallos repentina irruptione multorũ Ligurũ,*hoc ita quidem:*

Mais comme dit le prouerbe commun,
Dix ouuriers fõt en tout œuure plus qu'ũ.

Prouerb. 190.

VETVS NOMEN AVXILIO *eſt, antiquum ſcelus nocumento.* Sæpe *euenit, ut debitũ, cuius ſolutionẽ uel iniquitate uel egeſtate debitoris deſperaueris, cùm non putaueris, quia uel te ipſi debitori alia in cauſa opus ſit, uel is ſoluendo factus ſit, conſequaris. etiam ſi quando deliqueris, & pœnas eluſeris, fiet nonnunquã multò pòſt, & cùm minimè cogitaueris, ut iuſtum iudiciũ eiuſdem delicti ſubeas, uel hîc, uel tãdem cùm exceſſeris è uita, iuxta illud, quod & prouerbialiter dicitur,* Nullum *malum impunitum, & nullum bonum irremuneratum.*

Prouerb. 191.

VINEAM NON LVCRAbitur. *Fingunt uulgares uineam eſſe domino uacuam, illis cõiugibus deſtinatam, quos nuptiarum non pœnituerit. unde hoc dicunt uidentes aliquem geſtientem ſe ex animo uxorẽ duxiſſe, aut mulierẽ uiro nupſiſſe longè gratiſſimo, ſi-*

gnificantes id quantouis amore nexũ matrimoniũ, aliquando tandẽ pœnitentiã ſequi, propter miram animorũ diuerſitatem, ſuſpicionem uariã, multimodã imbecillitatẽ, tum ipſius matrimonij incõmoditates, quas à mortalibus ignorari uoluit Deus, *ne ſciẽtes omnes auerſarẽtur matrimoniũ, & genus humanũ ſucceſſione careret, ut quidã dixerũt. quorũ tamen hac parte fidem abrogãt iteratæ nuptiæ bonæ partis hominum, qui quondã ſunt eas moleſtias experti, à* Deo *quoque iam olim permiſſæ.*

Prouerb. 192.

VIR NON FVNDVS IN *pretio habendus.* Docet *hoc unumquẽque ſuo eſſe æſtimandũ, hoc eſt ingenio, eruditione, uirtute, non alieno, quod eſt quicquid facultatũ leuiſſimis fortunæ caſibus fragiliũ.* Proinde *quoque dicebat* Alexander Magnus *in epiſtola ad* Ariſtotelem, *cuius meminit* Gellius *lib. 20. cap. 4.* Quippe *ego doctrina anteire malim, quàm copiis, atque opulẽtiis.* Tum *illud poëticum commodè habet:*

Ῥανὶς φρενῶν μοι μᾶλλον, ἢ βέθος τύχης.

Prouerb. 193.

VNVS LANIVS NON TImet *multas oues.* Verbũ *eſt* Alexandri Magni,

prolatum, cùm ſe cum paucis pugnaturũ animaret aduerſus Darium *multis myriadibus militum ſtipatum. utimur in conſimili quaque, uel literaria ſcribendo uel dicendo in multos uictoria fortiter ſperata.*

Prouerb. 194.

VNVS VIR MILLE VIROS *ſæpe ualet.* Clarũ *hoc, tum noſtræ ætatis, tum ſuperiorum temporum infinitis exemplis. ſic apud* Hebræos *celebratus eſt* Rabbi Eliezar, *de quo dictũ,* Si *fuerint omnes ſapiẽtes* Iſraël *in lance ſtateræ, &* Rabbi Eliezar *filius* Hircani *in lance altera, ſuperabit omnes. apud* Romanos Scipioni *iuueni comparati cæteri umbræ ſunt æſtimati.* Græcis *unus* Achilles *multis militibus præſtitit. de quo & hoc memorabiliter* Agamemnon Homericus *ait:* ἀντί νυ πολλῶν λαῶν ἐστὶν ἀνήρ, ὅν τε ζεὺς κῆρι φιλήσει.

Prouerb. 195.

VNVS VIR NVLLVS VIR. Huius *prouerbij ſæpe meminit* Philippus *enarrator operum & dierum* Heſiodi. *admonet unumquẽque modeſtiæ, ut imbecillitatem humanã agnoſcat, neque ſuæ nimiũ innitatur prudentiæ uel poteſtati. ſicut & illud* Rabbi Iſmaëlis Hebræi, Ne *ſis iudex unicus: non eſt enim u-*

nicus iudex, niſi unus, deus ſcilicet. neque dicas, Suſcipite meam ſentẽtiam: quoniam penes illos, & nõ penes te eſt poteſtas. hoc eſt, quod & prouerbialiter dicitur, Vota ſunt libera, hoc eſt deſideria & opinationes in cenſendo & iure terminando controuerſias.

Prouerb. 196.

VOX IACOB, MANVS AVtem Eſau. *Dicitur cùm quis alterius cauſa tacita, expreſſo nomine ſuo, quicquam tanquam ſua cauſa agit, aut ſua cauſa uerè quicquã agit diſſimulata alterius nomine. ut quõdam Iacob indutus ueſte Eſau fratris, & aſcita hœdina pelle, tanquã Eſau, manibus hiſpidus, eius nomine, etſi uoce propria ſuſpectus, patri illuſit, benedictionem petiit & accepit, ut habetur ſacræ Geneſeωs cap. 27.*

Prouerb. 197.

VT PLANCA PVTRIDA *infidus. Dicitur de homine prauo & fraudulento, cuius nullis tutum ſit credere blãditiis, uel oſtentationibus fidere: perinde ac putridæ plãcæ quantumuis extrinſecus integræ, & firmæ, quicquid impoſueris, quod ſit alicuius ponderis, aut perdideris planè, aut deieceris, ipſa oneri cedente & fatiſcente illico.*

Prouerb. 198.

VT QVIMVS, QVANDO *ut uolumus, non licet.* Prouerbij nomine uſurpatur à Terentio, tum ſimiliter à Platone, ſanè frequētiſſima uox mortaliū debiliū, & nunquam contentorū, cùm immortales habeāt animos ſuper hæc omnia elatos, ad altiora & maiora tendētes, nempe ad ipſum deū, principium & finem omniū, ſcire & habere auentes ſemper, donec meruerint ad ipſum peruenire, & ita planè uiuere, ipſum perfectè agnoſcentes, & in eo ſciētes ac habētes omnia, iuxta illud diuiniloqui, Satiabor cùm apparuerit gloria tua. ſicque Paulus, Nam uelle adiacet mihi: perficere autem bonùm non inuenio. non enim quod uolo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum. Tū paulò pòſt, Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrū. hac uerò aliâs etiam ita fretus eſt, & cōſolatur ſe ipſum iā ut dicat, Omnia poſſū in eo qui me cōfortat.

Prouerb. 199.

VVLPES PILOS, NON *mores, mutat.* Admonet hoc magnam uim eſſe tum naturæ, tum conſuetudinis prauæ, quæ ne tempore uel canis homini naſcentibus mutatur.

unde & dicitur, Puer cẽtum annorum. & illud, Quam uiam ingreſſus fuerit iuuenis, non recedet ab ea. ac ita hoc dicitur ab Ethruſco poeta, Vero e'l prouerbio, Chaltri cangia il pelo anzi, che'l vezzo.

Prouerb. 200.

VXORIS PROBRVM VLtimus *qui reſciat eſt maritus. Vulgus hoc docet quorũuis probra ſæpe à coniunctiſſimis diutiſſimè ignorari: ut à principe marito reipublicæ, eius mala & damna, quæ à ſubpræfectis & magiſtratibus eius inferuntur, uel diſſimulantur: non ſecùs quàm uir adulteriũ uxoris ſuæ aut neſcit unquàm, aut reſcit poſt omnes, quòd uix quiſquam tantum amicum habeat, qui eius rei tam inuiſæ admonere uelit, aut monitorem idoneũ & gratum ſe iudicet, uel inimicũ adeò quemquam habeat, qui id exprobrare uelit uel audeat. ſic L. Syllæ Metella cõiunx palàm erat impudica, & quia nouiſſimũ mala noſtra diſcimus, id Athenis cantabatur, & Sylla ignorabat, ſecretáque domus ſuæ primùm hoſtiũ conuicio didicit, ut ait D. Hierony. lib. 1. in Iouinianum. Idémque in Sabinianũ diaconum, Quãto magis epiſcopus, qui te ordinauit, probabilis eſt, tanto tu amplius deteſtandus, qui talem homi-*

nem feſelliſti. ſolemus mala domus noſtræ ſcire nouiſſimi, ac liberorum & coniugum uitia uicinis canentibus ignorare.

F I N I S.

Animaduertat lector erratum, cùm in uirgulis, & punctis aliquot, uel omiſsis, uel poſitis perperam, tum Pag. 36. *li.* 1. *ubi pro natura, legendum, naturam.* Pag. 44. *li.* 4. Perillũ. Pag. 50. *li. ult. quæ.* Pag. 58. *li. penul. eodem.* Pag. 60. *li.* 11. *iuriſperito.* Pag. 84. *li.* 2. *faueri.* Pag. 113. *li. ult. quem.* Pag. 119. Scholiaſtes. Pag. 147. *li. ult. degenere.* Pag. 153. *li.* 16. *quiſpiam.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE